THEATRI OXONIENSIS ENCÆNIA,

SIVE

Comitia Philologica.

Julii 6, Anno 1677. celebrata.



OXON. è Theatro *SHELDONIANO*. 1677.

THEATRI
OXONIENSIS
ENCAENIA

sive

Comitia Philologica.

Iulii 6. Anno 1677. celebrata.

OXON. è Theatro SHELDONIANO. 1677.

Ordo commiſsionum Philologicarum IN ENCÆNIIS prædictis.

I. EDv. Mainard, Incept. in Artibus, è Coll. Magd. *Encænia aperuit.* Oratione ſoluta.

II. Carolus Finch, D. Heneagii, Baronis de Daventrie, ſummi Angliæ Cancellarii filius, ex Æde Chriſti, lemma habuit. *Belloſitum, ſive de regione Oxonium circumjacente.* Carmine heroico.

III. Jo. Groſvenour, Armig. filius, Baronetti Nepos, è Coll. Ænei naſi, lemma habuit. *Cambro-Britannus, ſive in laudes gentis Britannicæ.* Carmine heroico.

IV. Wright Croke, Servientis ad Legem filius, è Coll. Lincoln. lemma habuit. *Anglo-Saxo, ſive in laudes linguæ Saxonicæ.* Carmine heroico.

V. Carolus Wroughton, Art. Bac. & Coll. Mert. Socius, lemma habuit. *Bodleius.* Oratione ſoluta.

VI. Guil. Guiſe, Art. Bac. & Col. Omn. anim. ſoc. lemma habuit. *Imperii fines proferantur.* Oratione ſoluta.

VII. Sam. Des-maiſtres, Art. Bac. & Col. Oriel. ſoc. lemma habuit. *Imperii fines ne proferantur.* Oratione ſoluta.

VIII. Nicolaus Leſtrange, Baronettus, ex Æde Chriſti. lemma habuit. *Tranſactio Philoſophica, ſive metamorphoſis Atomiſtæ in Muſcam.* Carmine heroico.

IX. Francis Philips, Armiger, è Coll. Trinit. lemma habuit. *Sheldonus redivivus, ſive pro Archiepiſcopo ſoteria.* Carmine heroico.

X. Gul. Fox, Equitis aurati filius, è Coll. Magd. lemma habuit. *Templum Academicum inſtauratum.* Carmine heroico.

XI. Ferdinandus Tracy, Jo. Vicecomitis Rachutenſis filius, è Coll. Regin. lemma habuit. *Regina ad thermas Bathonienſes.* Carmine heroico.

XII. Jo. Hicks, Art. Bac. è Coll. Magd. lemma habuit. *Ne peregrinentur juvenes.* Orat. ſoluta.

XIII. Jo. Conant, Art. Bac. è Coll. Mert. lemma habuit. *Peregrinentur juvenes.* Orat. ſoluta.

XIV. Georg. Clerk, Equit. aurat. fil. è Coll. Ænei naſi, lemma habuit. *Thameſis vinctus, ſive de hyemis præteritæ inclementia.* Carm. heroico.

XV. Jo Wickham, Incept. in Artib. è Coll. Univ. *Encænia claudebat.* Oratione ſoluta.

PROLOQUIUM.

PROLOQUIUM.

GRatiſſimum hoc ſpectaculum, Academici, nec indignum quod potuiſſet ſacrato primum Theatro exhiberi! Prope eſt ut vellem (ſi hoc fuiſſet oratori indulgendum) attonitus hic aliquandiu obmuteſcere, raptiſque per ſubſellia oculis, eruditam frequentiam contemplari. Benigniori certe aſtro, & ſingulari neſcio cuinam genio, tutela hujus loci delegatur, ubi ingenium, quod ita undique extra hæc pomœria flacceſcit, tam allectrici adhuc facultate pollet. Londini quotidie lachrymantur hiſtrionum pegmata; & famelicorum ibi dramatiſtarum præfationes prologique nihil præter Muſarum fatum, vacua & deſerta podia, conqueruntur. Piget Archi-poetam ſuæ laurus, & nuncupati Camœnis voti: Floruit quidem ille aliquantiſper, & plauſu populi triumphavit; ſed cum mollis iſte rythmorum tinnitus, & heroicum carmen exoleviſſet, diffiſus aliis artibus, quibus civium aures ineſcaret, flevit jamdudum ignorantiam ſæculi, ſtatuitque reliquiis emeritæ eloquentiæ deriſum toties ab ipſo ſacerdotium cohoneſtare. Mæſtiſſima ædepol hæc verſificantium fortuna! Nequeo equidem mirari miſerorum planctus & ſuſpiria; converſas tam ſubito in cupreſſum hederas! Quidnam apud eos adeo malignum noxiumque, quo afflata eorum capita turpiſſime ita vappeſcerent? Mitior aura Anglicani climatis non potuit hunc torporem inducere? Quam late etenim increbreſcunt hæc roſtra? Nihil illa unquam ita explodendum emiſere. Adeo præclara ubique de Comitiis veſtris fama prædicat, tam pulcre præſtatis omnia, ut licet nulla ſcenarum pompa, non pictis nubibus, non deorum lemurumve volatu ſtudeatis ſpectantium oculos irretire, nudum ſolummodo ingenium, nulliſque præterquam rhetoricis ornamentis decoratum, tot & tales valeat auditores attrahere! En quam illuſtri cætu Theatrum æſtuat, legatorum ex præcipuis Europæ aulis, procerum generoſorumque ex omnibus Angliæ plagis confluentium! Non illos longinquitas loci, nec ardentis Julii intemperies potuit ab optato itinere deterrere.

In hoc centro positis statim è memoria excidunt, & viarum difficultates, & solis injuriæ : Perfunduntur delitiis animi, & labore sic compensato lætantur. Intuentur ista & regni, & sui ordinis futura fulcimenta ; maturam pene jam Parliamento sobolem. Fulgent è pulpitis argenteæ togarum fibulæ ; & prætextati juvenes reseratis animorum gazis istos expromunt conceptus, qui tantæ gentis magnitudinem indicant ; solidos, profundos, grandioresque quam qui possunt, nisi è patricio pectore evolvi. Digna hæc magnatibus educatio, & quæ illos tantum supra cæteros iisdem titulis & imaginibus insignitos erigit, quantum eos fortuna supra plebeiorum gregem collocavit. Nec opus est ut hic, nonnullorum more, consutis quibusdam aphorismis fragminibusque veterum, insulsam de doctrina & nobilitate orationem contexam. Ubicunque divagamini, sive in urbem discceditur, sive rura ; tot tam vana ubique observantur animalia, inepta, stupida, destituta sale & cerebro, ut quam inclyta res sit & exoptanda vacuus literarum honos, nemo aut risus expers, aut ruboris, nequeat non aspicere. Hi sunt isti volatiles animi, quorum aëreus vigor non finit se Academica morositate retundi : Amœniora illis in pretio studia sunt, & vix orthographiæ compotes ad lectionem statim hominum accinguntur. Propria tantummodo capita consulunt, & illis instar facetiarum est, si quoties in dolio veneream luem exsudârunt, quot. diripuerint ganeas, quot bajulos vulnerarint, & præclara istiusmodi facinora, digna de quibus purpura nostra glorietur, enumerantes aut inventio eos, aut memoria non destituat. Quem non misereret reipublicæ, quæ tantis divitiis, tot prædiis latifundiisque cogitur sic opprobrium suum alere ? Et quo tandem redirent res, si Academiæ etiam insanirent ? Si hic saltem virtuti, literis, & bonis moribus non consuleretur ? Ex aliorum jamdudum munificentiâ, quibus collegia & aulas eximiamque scholarum fabricam fundata debuimus, dum illic publice privatimque instituuntur disputationes prælectionesque ; omnes profundiores disciplinæ, Theologia, Medicina, Mathesis, Philosophia usquequaque per terrarum orbem, ubi feritas odiumque ingenuarum artium non dominantur, ita inclaruerunt, ut

earum

earum fama transmarinis perpetuo hospitibus Oxonium repleverit. Deerat tantum ad Academiæ gloriam, ut institueretur, aliquid quo generosa etiam pubes exerceretur; ne solus iste nobilissimus ordo stupesceret; ne reverteretur hinc, ut solet à peregrinando, nominibus solummodo ædificiorum instructus; sed incensus æmulatione, sed flagrans cupidine ingentia ista quæ in ipsorum animis reconduntur extrahendi, tam strenue tandem, quodcunque instaret negotium, oratorum partes sustinere ediscerent, ut nomen nostri senatus, non minus ac ecclesiæ, apud exteras gentes celebraretur. Tam grande & salubre consilium agitatum diu à multis, postremo in istud pectus, quod solum potuit id in rem educere, nescio quis, aut unde sacer impulsus demisit. Reflexit aciem in nupera regni vulnera consultissimus præsul: dolori erat recordanti damna ista & strages, quibus modo civile bellum exarsit; cum nequissimi bipedes, sordidissimæ fæces populi, arrepto reipublicæ gubernaculo, immanitate omnia & sanguine inundarint. Palam erat ruminanti hæc, quid oportuerit in posterum ab illiteratis consiliis sperari; & quam dira adhuc fata verticibus nostris semper imminerent, si natæ istis temporibus insciția & barbaries non extirparentur. Cæterum jam evanescit timor succedentium malorum. Spondemus & nobis pacem & nepotibus. Erudita series tot illustrium juvenum, quorum mox auspiciis administratio rerum subjicienda est, dissipabit statim quodcunque avaritia, invidia, aut rapacior zelus machinabitur. O reverendissime Antistes, Tu summum Cantuariensis cathedræ decus, modo tam sacrum nomen ore nostro non violaretur, quam alte hic, quam crebro resonarem! Quid tu de Rege, quid de universa gente meruisti? Restituis coronæ divulsum jus & prærogativam. Nunquam pœnitebit Carolino stemmate oriundos deletæ pupillorum curiæ. Melius hic subditorum fidei prospicitur; inuritur altius regiæ majestatis veneratio, nec amplius saturanda est aulicorum rapacitas: Non dilaceranda impuberum patrimonia; nulla cum gibbosis, cum lippis, & mustelinis gorgonibus ineunda conjugia. Mollius insinuatur magistratuum amor. Intonant hic Caroli gesta, quid contra

Batavos, quid in Afros peractum fuerit: Edomantur omnia regni monstra, quæ audent in Cæsarem venenum suum eructare. Juvat circumspicere auscultantium ora: quibus illi affectibus rapiuntur, cum facundi rhetores incipiant se è suggestibus expandere? Sive in domesticos hostes, sive in exteros perorandum sit, incandescunt statim & frontem contrahunt, parati contra Philippos, contra Catilinas & Antonios arma rapere.

Mirentur alii tam stupendam struem, pensile laquear, & ruituro simile, in æternum tamen stabilitum fixumque. Mirentur cælata & picta opera, & nihil præter mira blaterent. Potui forsan & ipse Græca pariter ac Romana monumenta revolvere; Cæsareum huc amphitheatrum transferre; jubere ne Appelles ulterius, nec Praxitiles, penicillos suos, aut scalpra jactent. Num sic decet ex antiquorum ruderibus fundatoris nostri panegyricum eruere? Adeone arcta sunt ejus encomia, ut ab ipso ad opificum laudes devolvamur? Tam vulgaria aggressuro mihi, & vos Academici, & Sheldonus os obstruitis. Nobiliora suppeditatis argumenta, & huc usque licet exspatiato recens adhuc copia procurrenti repullulat, nec unquam patitur se exinaniri. In circumvolutos huc & illuc oculos nihil non excelsum quidem & magnificum ingeritur; sed si libeat potius tanti benefactoris sapientiam collaudare, in vos lingua vertenda est. In hoc gestit sanctissimus vir, quod se vobis patronum præstitit: exultat recordatione tam bene collocatæ munificentiæ, unde tanta suæ patriæ gloria exoritura sit. Nequeo quin efferveseat mihi bilis, & propria ipsorum convitia retorqueam in nefarios istos, qui audent hoc ab omnibus adeo celebrandum opus calumniari; qui manibus in cœlum sublatis ingemiscunt Archiepiscopum, ingens ecclesiæ præsidium, ineptiis domum struere. Cur non templum ædificavit? Quare in eleemosynis noluit thesauros suos exhaurire? Adeone turgescunt loculi, ut nequeant nisi frivolis nugisque evacuari? Perversum genus hominum, quibus nihil stupidius sceleratiusve! Qui religionem in horreis temerant, qui numen ipso Cynico coarctant magis, & è dolio concionantur. Cum

vir de pietate & eruditione optime meritus moliatur id, propter quod, quicunque vel sapientiæ vel bonitatis charactere insigniuntur, fateantur se devinctos, ethnicum hoc, si diis placet, habetur, & profani stigmate obnigrandum. Nova Deo ædes erigenda; sancta Maria non ampla satis, nec augusta, quæ recipiat divinam illam immensitatem, quam perditissimi isti balatrones non erubescunt intra cœnaculum incarcerare. Quid contra tam illota ora tentandum? Si non par sceleri vecordia obsedisset eorum animos, nisi impios vereces contra omnem disputantium vim & argumenta impervia rationi crania muniissent; vestra jamdudum doctrina omnibus istiusmodi portentis infelix sæculum purgâsset. Sed jam succumbendum est pervicaci malo. Languescit penitus spes sanandi tam inveterata ulcera. Immansueta, nimis immansueta Fata, quæ nulla potuit misericordia coercere, quo minus humanum genus his saltem pestibus cruciaretur. Si cædem, stuprum, atheismum, & teterrima quæque vitia facto agmine una in nos irruere jussissent, non fuisset forsan de quo tam graviter quereremur. Omnia hæc vel calamis statim vestris, vel linguis subacta, victrici religioni triumphandi decus reliquissent: Obstinatius autem monstrum fanatica rabies, nullis nec philosophorum, nec theologorum armis debellandum est. Agnoscimus, ô cœlum! & tu, cui in cœlo afflictæ religionis cura demandatur; agnoscimus clementiam tuam, quæ grassante undique tam funestâ hominum colluvie, tale nobis propugnaculum erexisti. Agimus certe gratias, utcunque laceri concussique, si ab inferorum antris tot infesta schismata & hæreses ideo tantum erumpere permiseris, ut effulgeret virtus reverendi istius præsulis, qui tantæ par calamitati semper perseveravit. Solus is potuit impedire, quo minus Turcarum inhumanitati invideremus, nec pœniteret pæne nos Alcoranum Evangelium non subvertisse. Floreat diu veneranda illa canities, necdum audeant comites senectutis morbi, unicum nostræ tranquillitatis sustentaculum divellere. Bene jam collocatur onus, & huic dignissimæ cervici usque incumbat. Neque adhuc, insignissime Pro-cancellarie, quicunque de mitrato cœtu post obitum colendissimi Patris isti

dignitati deſtinatur, Academiæ negotia optimeq; adminiſtrati Vice-cancellariatus ſpecimina permittent te vacantem promoti ſedem replere. Non ideo importunis honoratiſſimi Cancellarii anxiæque Univerſitatis precibus tantum à te beneficium extorſimus, ut tam cito ægre conceſſa felicitate orbaremur. Ignoſcat ſanctiſſimus Epiſcoporum ordo, ſi certantium tanti viri conſortio ſe auguſtiores reddere votis & conatibus obnitamur. Tibi, qui tam diu in damnum noſtrum delituiſti, in tuum hic diutius commorandum eſt: Tentaſti fruſtra ab aliis ultro petitum munus detrectare; fruſtra occultare virtutes iſtas, quas natura in publici utilitatem elaboravit. Non tam male de cœlorum providentia meruimus, ut à modeſtia tua, ſolicitudo noſtra vinceretur.

BELLOSITUM

BELLOSITVM,
SIVE
DE REGIONE OXONIVM
CIRCUMJACENTE.

PHŒBE, ſequor quocunque vocas, jam plena furori
Vela dari mens geſtit, & imo pectore totum
Ferre Deum, Delphoſque meos. Mihi numen amicum
Jam licet & faciles ſperare in vota Camœnas,
Annua facturo dilectæ juſta parenti
Oxonio, ſedes Muſis ubi fata quietas,
Immotaſque coli per ſæcula longa dedere.
Vos quoque felices animæ, ſimulachra priorum
Functa poëtarum, elyſiâ qui valle recepti
Antiquos meliori iteratis carmine cantus;
Siqua ſubit veterum compoſtis cura laborum:
Nec pereunt ingrata vacantibus otia, dignos
Inſpirate animos, genioque accendite veſtro.
Qualem Pieriâ ſpirant meditata ſub umbrâ
Carmina, vel qualis ſæpe eſt conſidere viſus
In lucis, Redycina tuis, cum læta canentes
Cingit, amans vatum, laurus; Phœbique ſacerdos
Excutit inſolitos divinâ mente furores.
Egeria optaſſet ſimiles ſibi Diva receſſus,
Cum Romana pio dictaret ſacra marito,
Æternamque novis fundaret legibus urbem.
Nec te, perpetuæ cuſtos maleſida javillæ,
Ilia, quam Tybris madidis amplectitur ulnis,
Quamvis Tybrin amas, & toto gurgite meſſa
Cæruleos, læſi memor ignis, proluis artus,
Aſcriptam nymphis tulit Iſide gratior amnis;
Iſide, quæ curvos Mœandri imitata meatus,
Laſcivis ludit gyris, curſuque perenni
Volvitur, & notis uda imprimit oſcula ripis.

Nullæ

Nullæ in fronte minæ, nec formidabile lumen:
Par vitro color est, nec enim tam læve relucet
In thalamis speculum, quo formæ conscia virgo
Componit vultum; quoties spectabilis arte,
Regali specie miseros accendit amantes.
Ast ubi collectos gravidis ex nubibus imbres
Concipit, & pleno præceps exuberat alveo,
In prata expatiatur ovans, lætæque relictâ
Surgunt, & pingui rorant uligine glebæ.
Sic cum laxatis excurrit Nilus habenis
Impatiens riparum, & siccis incubat arvis,
Mox induta novo tellus Ægyptia cultu
Ridet, & authorem testatur fertilis annus.
Nec, Cherwelle, tuos mea Musa tacebit amores,
Quem divortia longa, & inextricabilis error
Per varias rapit ambages, & in Isida perdit.
Hîc aliquis vates vacuâ resupinus in umbrâ
(Quam densæ præbent salices, & cana salicta)
Fluminis Alphëi veteres ex ordine flammas
Narrat, & indefessa tuos, Arethusa, labores;
Dum cursum acrius urget, & incandescit eundo,
Donec miscet aquas, junctisque amplexibus hæret.
Jamque ubi commiscent fluctus Cherwellus & Isis,
Utroque irrigua, & lætis cincta undique ripis,
Bellositi se longe ostentant mœnia, pulchro
Conspicienda situ: non illic nubilus aër
Spirat, & infecto spargit contagia cœlo.
Sed puri lucent soles, radiisque vapores
Eliciunt nocuos, pestisque alimenta futuræ.
Non hic morborum facies diversa, medentes
Incertos ludit perdendi mille figuris;
Nec properata venit, solâ se victa, senectus.
Tali se vultu Saturnia regna tulere,
Cum Zephyri circum plausere tepentibus alis,
Et lætos ver perpetuum exhalavit odores.
Has olim sortes æquâ Deus annuit urnâ,
Augurioqae ratas certo firmavit Apollo,

Qui

Qui ſibi ſacratas cùm ſuprà conſtitit arces;
(Seu tum primâ loco poſuit fundamina victor
Mempricius, pulſaſve Aluredi nota Camœnas
Reſtituit virtus, ſenium cum triſte ſubirent,
Poſtquam præcipiti Danorum invecta procellâ,
Horrida barbaries & cimmeria incubuit nox;)
Dixerat hæc, aut hæc potuit dixiſſe videri.
O longe, Redycina, mihi natalibus arvis
Et Delphis prælata meis, ſi rite jubenti
Vera dedit reſponſa adytis cortina recluſis,
Hic mihi conceſſum eſt fatis melioribus ævum
Tranſigere, & viridi longùm florere juventâ:
Nec mentita Deum referam ludibria, myſtis
Sed ponar tutela novis, gentique togatæ,
Viva ubi dediſcent latebras oracula cæcas.
Hæc fortuna loci, pelletur finibus urbis
Dira lues, atro vultum ſuffuſa veneno;
Et raris comitata ibit Libitina triumphis.
Excludet morbos ſe vindice tuta, nec ipſa eſt
In titulos ventura meos medicina, ſed herbæ
Proſtratæ ſummâ paſſim tellure recumbent:
Verum herbas fœcunda feret, quas India novit,
Vel quas meſſor Arabs, cum falce laborat ahena
Vernus ager, cæſoque rigeſcunt palmite trunci.
Quin, mihi ſi non vana fides, venientibus annis
Tempus erit (quanquam hæc animus meminiſſe recuſat)
Cum triſtes experta vices antiqua Britanni
Imperii ſedes, duriſque exercita fatis,
Ore bibet ſicco vitiatos ætheris hauſtus,
Infenſum ſenſura Jovem; cum deſuper arma
Corripiet deſueta, graveſque recolliget iras.
Tunc gratus ſolis deſignatoribus annus,
Pignora proſternet charo divulſa parentum
Amplexu, matreſque inter lamenta peribunt.
Carolus interea divorum à ſanguine longa
Dimiſſus ſerie, ſiquidem fortuna locorum
Non ſua ſe premit, ambiguis erroribus actus

Hic, ubi ſecuris fecit Deus otia Muſis,
Feſſum inclinabit latus, hoſpitiumque recepti
Agnoſcet nati, fuerat quod patris aſylum.
Sic cum ſubmerſas texerunt æquora terras:
Et ſine lege vagas pelago Neptunus habenas
Commiſit, tutus Parnaſſi conſtitit arce
Deucalion, & quâ clades reparabilis arte
Neſcius, invenit faciles in vota ſorores.
Talia præſago quondam Deus edidit ore;
Dicta fides ſequitur, circum undique largior æther
Latos perfundit campos, & amœna vireta,
Quantum acies extenſa poteſt luſtrare videndo,
Metirique viæ; ubi centum in valle reductâ
Obſcuri latitant vici, vultumque modeſtum
Fronde tegunt nemorum, & ſylvis conduntur opacis.
Non aliter niveo complectitur æthera gyro
Circulus, & cœlum ſplendeſcit lacte ſereno;
Mille micant hinc inde immenſo ſydera tractu,
Quæ tamen effugiunt oculos impervia noſtros.
Has umbras captare ſolet, cum turba togata,
Non ſemper tetricæ ſtudiis operata Minervæ,
Luſibus indulget; ſeu prono flumine ferri,
Seu magis adverſis juvat obluctarier undis.
Godſtovium ante omnes monumento inſigne vetuſto,
Quod pauca antiquæ ſervat veſtigia famæ,
Limoſis obſeſſum ulvis, cannâque paluſtri.
Sæpius hic priſci riſum movere Poëtæ,
Qui, Roſamunda, tuos donarunt carmine manes,
Carmine vix Hecubâ digno, triviiſque timendo.
Sæpe aliquis, cum ſtat coràm lacrymabilis urna,
Multa diu ſecum evolvit, cauſaſque requirit,
Mota quibus thalamo ſuper Eleonora, veneno
Suſtulerit fato meritam meliore perire;
Contemtos nimis ulta toros, tædaſque jugales.
Haud procul excelſo tollit ſe vertice moles
Regia, ſed ſolis jam conſpicienda ruinis,
Quas belli furor, & rabies fanatica fecit.

Arx

Arx olim Henrici, vetito qui ſaucius igne,
Rivalemque timens vel in ipſa conjuge, flexus
Commiſit varios, ſinuoſoſque orbibus orbes
Impediit, ſuus uſque adeo juvat error amantes.
Nec Veneris tantum luſus ſpectare licebit,
Dædaleæ artis opus; ſunt & ſua ſacra Dianæ,
Suſpenditque humeris inflexum Delius arcum.
Hic ubi in immenſum ſpatioſo limite ſaltus
Porrigitur, trepidoſque agitata cubilia cervos
Excutiunt latebris, ruit irritata canum vis
Spe prædæ, patuloque legit veſtigia roſtro.
Protinus ingenti ſonitu nemus omne remugit,
Et ſimiles vicina modos reſonabilis Echo
Nympha loci reddit, quæ jam convalle ſub ima
(Quam ſecat obliquo decurrens tramite rivus)
Conſidet extremæ captans veſtigia vocis.
Credideris Narciſſum iſtis immergier undis.
Hic etiam O nullis oblivi ſcenda poëtis
Chauceri domus, antiquæ domus hoſpita Muſæ
Uſque ſtat, immunis fati, viridiſque juventâ:
Sponte ſuâ erumpunt laurus, hederæque frequentes,
Intexunt vernâ tecti faſtigia ſcena.
Sic poſt Thebanas ſupereſt illæſa ruinas
Una domus, fruiturque perenni Pindarus ævo.
Quin age, Nam facilem ſpondet tibi, Muſa, loquelam
Chauceri nomen; ſimilem tibi ſpiritus æſtum
Inſpirat, ſacroſque in vate reſuſcitat ignes.
Priſca refer, quotquot juxta hic monumenta ſuperſunt;
Geſtaque, ſupremaſque ducum teſtata favillas.
Quale apicem attollit Rollonis ſaxea moles,
Danum opus aggeſtum; ſeu parti inſigne trophæi:
Seu, quod fama refert, medio in certamine primi
Diriguere duces, coopertis marmore membris,
Facta ſibi monumenta omnes manſura per annos.
Hic, ne longa dies, & cæca oblivio rerum
Carperet heroûm titulos, actoſque labores,
Annales fert terra ſuos, memoreſque recondit

Faſtos

Faſtos, immenſæ contracta volumina famæ.
Hic regum oſtentant effoſſa numiſmata vultus,
Defunctoſque duces: vivo Praſutagus in auro
Fulget adhûc, juxtaque ſua requieſcit in urna
Contemtrix olim Latii Boadica Neronis:
Quam prope replentur lachrymis pellucida vitra,
(Quæ mæſti extremum tulerant ad funus amici
Indicium luctus,) concretæ frigore guttæ
Luce micant puræ, & gemmarum fulgura vincunt.
Nempe ſibi pretium faciunt tam grande dolores.
Quid memorem qualis vicino Alectus in agro
(Cujus adhuc gaudet cognato nomine caſtrum)
Staret, & adverſis melior Conſtantius armis,
Cum viſa eſt hærere diu ſors anxia belli,
Cui daret imperium Romæ mundique regendum?
Talis erat rerum facies, cum fœdere rupto,
Alpinis demiſſa jugis tulit agmina Cæſar,
Eoaſque gener late Pompeius alas
Explicuit, ſuſpenſa quibus mox cederet armis
Roma ſtetit, tanti pretiumque & cauſa cruoris.
Teque, Edoarde, canam; magni nam conſcia partûs
Vagitus Iſlipa tuos audivit, alumnum
Quæ nunc regalem jactat, cuniſque ſuperbit.
Dive potens ſalve, tua quem colit omnibus ævis
Anglia, ſentit enim vires, fruiturque benigno
Numine, & agnoſcit medicæ miracula dextræ.
Creſcentes quæ vel tactu lenire tumores,
Et ſolitas alto capite excedentia moles
Tubera, compreſſit tamen, & ſubſidere juſſit.
Hac virtute inſtructa manus quæ ſceptra Britannûm
Temperat, & morbos regit, imperioque coercet.
Hoc olim Phrygio proles Semeleia regi
Præſtitit, ut ſimili florerent tacta metallo;
At Carolum ſuperi meliori munere donant,
Et divina manus, quod tangit, conſecrat aurum:
Inque ſuis opibus, quas fundo percoquit imo,
Sole magis medicum, totus ſe oſtentat Apollo.

Jamque

Jamque tuum, quo Musa rapit, sequor Offa Witebamum,
Qui poteras olim Cambros inhibere feroces,
Quos intercluſit multo ſtructa aggere foſſa;
Et pudor abſciſſæ, perrupto limite, dextræ.
Quis te laudabit digno Beumontia cantu,
Normannûm ſedes, & avita palatia regum?
Regale eſt quicquid video. Berecynthia mater
Incedit talis Phrygias turrita per urbes,
Divarum comitata choro, media ipſa ſuperbo
Ingreditur paſſu, & toto Dea vertice ſupra eſt.
Tale tuum feſta circumſtipata corona
Attollis, Redycina, caput; quodcunque repoſtum
Interiore nitet cultu; melioribus aris
Hoc ſupereſt, animis & ſola mente colendum.

CAMBRO-BRITANNUS.

QUA Deva extremas Anglorum terminat oras,
(Inter cæruleas olim celeberrima Nymphas,
Quas largâ procul effudit pater Inachus urnâ)
Et pelago commissa ingenti volvitur æstu,
Hiberni regina sali; stat littora contra,
Terra viris armisque potens, antiqua Britannûm
Patria; quæ primâ repetens ab origine nomen,
(Si titulus valet, & series prolixa nepotum)
Authorem jactat, nec mendax fama, Gomerum:
Qui quondam miro terrarum accensus amore,
Diversisque actus ventis maria omnia circum,
Et longum permensus iter, quò fata tulerunt,
Non sine Diis sociis has tandem contigit oras,
Atque æterna novæ posuit fundamina gentis.
Illic immotum magno molimine Cambris
Imperium fixit, faciles que ad prælia mentes
Formavit, donec post robore crevit adulto
Res Britonum, populumque heros in sæcla reliquit
Ferre juga indocilem, libertatisque tenacem.
Ah quoties animo, quam læta recursat imago!
Cum per tot casus variis exercita fatis
Cambria, bellorum sævis infracta procellis,
Et semper secura sui, (quæcunque paravit
Aut Danus, Danoque olim vicinior Anglus)
Ipsa suas fovit nativo frigore lauros.
Sæpe quidem virtutem experta, animosque viriles,
Lassa hostis rabies, nunquam satiata recessit.
Haud aliter si vis surgat violentior Euri
Immensum factura inter querceta tumultum,
Mox languet, ponitque minas, & temperat iras;
Illa manent immota locis, spretoque furore
Nequicquam percussa, altis radicibus hærent.
Usque suis obsessa malis, tunc Cambria victrix
Erexit sublime caput, tunc desuper orbem
Despexit, validisque licet librata lacertis,
Incassum summos tetigerunt fulmina montes.
Illa tamen victis dederat solatia ferri,
A Cambris vinci foret ut pars una triumphi.
Offa suas multo congestas aggere fossas
Objiciat nobis, sciissæque opprobria dextræ;

Quantum

Quantum profecit? Britonum dum conſcia virtus
Arſit, & anguſto non paſſa eſt limite claudi,
Irritata magis; ceu, cum vis magna coercet,
Oppoſitas amnis ſuperat vaſto impete moles;
Et fremit, & fundo præceps exæſtuat imo,
Impatienſque moræ pelago premit arva ſonanti.
Quid non efficient quibus hæc præcordia virtus
Excitat, & fœtæ generoſo ſanguine venæ?
Si nondum oblita eſt antiquas Anglia clades,
Sed commiſſa juvat repetentem funera, priſcos
Ire per annales, & geſta retexere bella:
Cum longo contra obnixus certamine Camber,
Excuſſitque jugum effrænis, ſolitoque furore
Perculit Angliacos, & ſtragem ſtrage rependit:
At memoret quantum pietas invicta Britannûm
Contulit, extremiſque fides ſpectata periclis;
Audax Imperii tunc cum Cromwellus habenas
Invaſit, ſceptro Carolumque excuſſit avito;
Protinus inſurgunt Cambri, junctiſque tyrannum
Inceſſunt odiis, (O quam te, Scotia, mordet!)
Rumpentes ligæ, meliori fœdere, nexus.
Scilicet ut Cambros nunquam fanaticus æſtus
Corriperet, (proprio gaudentem frigore gentem)
Dum tu, perfida, tu mediis Aquilonibus ardes.
Diſce tamen, tellus peperit quos noſtra triumphos,
Quos promtos ad bella duces, in utrumque paratos,
Vincere ſeu liceat, patriæve impendere vitam;
Si palmam fortuna negat, ſorſque aſpera belli,
Qua tamen uſque datur, ſtat honeſto occumbere fato.
Quam vellem, Morgane, tuos iterare labores,
Et plenam patrio igne animam, mortiſque capacem!
Oppreſſum numero campis cum cederet agmen,
(Nec tunc ulla fugam Cambris ignavia ſuaſit)
Et qua pugnatum eſt, rubris cum decolor iret
Weever aquis, volvens turbato gurgite fluctus;
Solus reſiteras, par vel tot millibus unus,
Oſtentans lacerum corpus, truncataque membra,
Et fuſum, prægnans tumuit quo vena, cruorem.
Nec laudes, Odoene, tuas invicte tacebo,
Quem nec vincla, minæ, longuſve in carcere pedor
Fregêre, aut ſævi repetita decennia fati.
Dulce par, Elyſii ſiquid mortale receſſus
Curant, nec noſtra heroes conamina rident,

Queis par Martis amor, potuit par causa placere,
Este etiam unius nunc ingens fama Camænæ.
Te quoque, quem quondam in partes malus abstulit error,
Middletone, canam; nam te mens conscia facti
Expiat, atque accensa pio vindicta dolore.
Par culpæ errantis conversi gloria; dextra
Majores egit, vel quod decepta, triumphos.
Scilicet, ut subita deprensus nocte viator
Cæcum iter explorat longis ambagibus actus:
Mox primam nactus lucem, cælumque serenum
Festinat; cursuque moram citiore rependit.
Sed quid bella sequor? quo me fœcunda vocavit
Laudum materies? nec enim si Martia virtus
Fert cœlo Britonas, natumque ad prælia robur,
Mitius ingenium pariter natura negavit.
Exuit agrestes animos etiam incola montis
Camber, & hospitii jus inviolabile servat.
Protinus ampla patent reseratis atria valvis,
Quæ novus ingreditur, nusquam securior hospes;
Nativasque dapes, & longum syrma trahentes
Instratæ ostentant mensæ, atque innoxia libant
Pocula, perpetuum mansuri pignus amoris.
Miratur, geniumque loci peregrinus adorat,
Insuper hæc secum repetens, si Cambro-Britannus
Præstitit hæc hospes, quantum præstabit amicus?
Fallor? an inspirata meæ vis enthea Musæ
Me rapit? en summo videor Snowdone locari;
Unde mihi (nec vana fides) dum vertice cano
Sublimis ferit astra, viamque affectat Olympo;
Subjectasque datur terras atque arva tueri,
Utque artem mentita, suas discrimine læto
Pandit opes natura. Hic alto culmine rupes
Aeriæ nitidum caput inter nubila condunt;
Illic irriguæ fœcundo flumine valles,
Et gramen pecori, & fessis pastoribus umbras
Sufficiunt; paribusque cavæ respondet avenæ
Ripa modis, dum Pana deum nemus omne remugit.
Quod si vera canunt veterum præsagia vatum,
Merlinusque sagax quondam ventura videre;
Quas videt hinc, vincet terras, victriciaque arma
Longe diffundet Camber, lateque vetustum
Proferet imperium, æternis celebranda trophæis
Bella gerens; soloque minor dominabitur Anglo.

ANGLO-SAXO.

SIVE

In laudes Linguæ Saxonicæ.

ARMATAS hinc inde acies, convulsaque mundi
Fœdera, & Europam furiis ultricibus actam,
(Sive fremat Batavis instratum classibus æquor,
Gallica seu totis se ostentent Lilia campis)
Dicere musa fugit, strageſque & funera belli,
Funera quæsitis nondum finita triumphis.
Inferiora juvant, justas expandere Linguæ
Laudes, & veteris meritos Sermonis honores.
Gratum opus est musis artes revocare caducas.
Lingua antiqua fuit priscis bene nota colonis,
Qui quondam fluvios Albim Rhenumque biberunt.
(Saxones, à sicis nomen traxere cruentis,)
Quo sermone latus mundi Boreale repletur:
Hinc Scoticæ fontes, & nostræ semina linguæ.
Invictos montes, similesque Britannia voces
Sola tenet; penitus toto disjungitur orbe,
Non pelago, nec aquis, sed jam sermone Britannus.
Sicut agunt cursum per salsos flumina fluctus,
Et solitos repetunt usque illibata meatus;
Sic inter varias Cambrorum lingua loquelas,
Excrevit sine matre, manet sine prole perennis.
Hæc secum atque altos ostentet Cambria montes;
Saxonicum nobis genus est, sermonis origo,
Et morum. Notos scelus est sprevisse parentes.
Hæc ego dum grata volvebam mente sub umbra,
Nam sopor incubuit, species se læta, refulgens
Mille catenatis, varioque volumine, libris
Bodleiana domus, nobis mirantibus, offert:
Spectandamque dedit seſe numerosa supellex.
Tum visum est venisse duos ætate verendos,
Et vacua librum cella petiisse vetustum:
Sordidus ille jacens, & multo pulvere turpis,
Saxonicis antiqua notis monumenta tenebat.
Indoluit senior, Batava de gente colendus
Hospes, & expressit vocem dolor indignanti.

Scilicet hæc fieri antiquæ convicia linguæ,
Nec noſtra ablatos unquam ulciſcetur honores?
Si tua canities damno eſt, ſe noſtra ſenectus
Erigat, & vigeat me vindice ſerior ætas.
Non ego philoſophos, inquit, queror eſſe renatos,
Quodque novos perpeſſa ignes natura fatetur
Mira, quod humano ſcrutantur corpore fibras;
Quod ratio, non verba ſcholas jejuna gubernant,
Non equidem invideo; miror magis undique plenis
Uſque adeo cellis, nullis antiqua placere;
Immundoque ſitu veteres ſqualleſcere chartas,
Quin agite, atque alios tandem ſerventur in uſus
Æternæ tinearum epulæ, proavoſque Britanni
Aſſerite hac clade, & (ſi quæ monumenta ſuperſint,
Implevitque ſuos nondum rubigo triumphos,
Siqua ſubit pietas) ingratam abſolvite gentem;
Ut niteant cineres urna meliore paterni;
Et ſurgat rediviva cadentis gloria linguæ:
Nectendis qua non lapſo præſtantior ævo
Lingua fuit verbis, aut aptior edere mentem.
Quid? quod Homere, tuæ, vel Phœbo judice, linguæ
Par eſt, quod gravitas Hebræa, Latina venuſtas,
Saxonicam dulciſque exornat gratia linguam.
Dixit & attento repetens proceſſit amico,
Cognatas linguas, fonteſque illius & uſum.
Quis Turrim neſcit, cœloque minantia ſaxa,
Cum Pater omnipotens vibrato fulmine, molem
Concutiens, animoſque virum vertigine, linguas
Læſerit, & variis impleverit ora loquelis?
Quas inter veterum (ſic fertur) lingua Scytharum
Exſtitit, & Gothicam peperit, Græcamque ſorores:
Tum Gothicæ proles, Cimbri Francique feroces,
Diſſimilique ſono formarunt Saxones ora.
Hos anguſta domi res, & numeroſa propago,
Externas armis cogebant quærere ſedes.
Pars hæc Italiam domuit, pars illa Britannos;
Nec pudor eſt ceſſiſſe armis queis Roma ruebat.
Hinc victis linguam victor commiſcuit hoſtis,
Unde novæ voces ſurgunt & norma loquendi.
Tecta tamen Gothicæ cunctis veſtigia linguæ,
Saxonicæque manent populis, quos Parrhaſis urſa
Reſpicit, & gelido gaudentes axe Triones.

Saxonibus postquam dederat fortuna (Britannis
Expulsis) sedes, & tutam pace quietem:
Gens, armis, mores linguamque ornare, relictis;
Atque ferox animo nuper mollescere cœpit.
Tunc quoque relligio dignos molita triumphos,
Saxonicisque pares armis, Frisiasque tenebras
Dispulit, & cœcam densa caligine noctem.
Qua venit, prostrata suo gentilia cultu
Numina cesserunt, paganæque ignibus aræ
Incaluere novis: nam tunc ingentibus ausis,
Wilfredi, Gotebaldi, Hevaldorumque, rigentis
Naturæ fines, pigro qua panditur axe
Suecia, vicinasque nives Norvegia miscet,
Suscepere fidem. Mellito hinc entheus ore
Cædmon adest, resonans sublimi oracula versu:
Et tu Beda etiam titulo quocunque vocandus;
(Nam quondam secreta manus Venerabile nomen
Addidit, & meritos defuncto ascripsit honores,)
Qui poteras musasque omnes, artesque jacentes,
Pauperis angusto complecti limite cellæ.
At nec longa dies veteres abolevit honores,
Usque sed Angliacæ perdurat gratia linguæ.
Huc advecta manent cum Saxone nomina festis
Addita, queis hodie distinguitur ordo dierum.
Pensa, colum, fusos, deductaque vellera filo
Lanificus; stivam plebeius, plaustra, temonem,
Saxonicaque jugum designat voce colonus:
Et bona, quæ fragilem sustentant omnia vitam.
Otia quæ luxumque juvant, tibi, Gallia, debet
Anglica mollities (non invideamus honorem.)
Tu, quibus instituis, resonarent vocibus agri,
Cum versuta canes vulpecula fallit odoros;
Seu celebrare juvet perituri funera cervi.
Tu, quibus accipiter rapidis secat aera pennis,
Et capta toto gyros agit æthere præda.
Nomina tesserulis imponis, nomina ludis:
Undique castra tuis clamant lusoria verbis.
Scilicet & nugas, & putres, Gallia, morbos,
Littoribus transfers, nimis officiosa Britannis.
Seria Saxonicus dedit, & meliora colonus.
Quid referam Alfredi tot scripta laboribus? unus
In gentis laudes, & linguæ sufficit unus.

Hic

Hic æterna ſacris poſuit fundamina muſis;
Hiſce ſcholas debet, famam, collegia, libros,
Sheldonique domum, (quid non?) Academia cæptis.
Quinetiam his ſtudiis ultro inſervire Theatri
Infima regna parant, pendentibus undique chartis
Saxonis Alfredi, quas inter ſubdita prælo
Vita jacet; prælo, cui ſolers Junius ornat
Lexicon, & prima ductas ab origine voces
Præparat Angliacas, noſtræ nunc gloria gentis
Junius: ad laudem cui tantum contulit una,
Quantum omnes aliæ poſſint comprendere linguæ.

IMPERII

BODLEIUS.

SI loca literis dicata venerationem sibi aliquam possint vendicare (& possunt certe quam maximam apud ingenuos bonarum artium cultores) si quid virorum debeatur memoriæ, quibus ampliſſimis obstricti tenemur beneficiis, non ingratum vobis fore confido, ad celeberrimam hujus Academiæ (an non totius terrarum orbis?) bibliothecam cogitationes vestras paulisper deducere; nec argumentum hujusce temporis solennitati incongruum duco, memorandum Bodleii nomen celebrare. Cogitanti mihi quales quantosque esse oporteret, & quibus instructos virtutibus, qui de omni humano genere optime meriti audirent; non alia perfectior succurrit idea, quam optimum Bodleii exemplar. Quamplurimos videmus, quorum in gremia manu non parcâ bona sua profudit fortuna, familiæ suæ splendori stabiliendo satis superq; sollicitos; interim quid de reliquo hominum genere fiat penitus securos. Sed ubique locorum non regnat hæc pectoris anguſtia; nonnullos etenim experimur, qui non sibi tantum suisque, verum etiam patriæ se natos lubentissime profitentur; qui anguſto sanguinis sui alveo munificentiam suam terminatam fluere non sinunt, sed, Nili ad instar fœcundissimi, arctas nimis affinitatis excedunt ripas, & circumjacentem patriam beneficiis fovent: summis profecto honoribus digni, nisi quod majores vendicarent; qui oceanum, non Nilum imitati, in quælibet litora, in quascunque terras benignam extendunt influentiam; qualem nobis bibliothecam exhibuit Bodleius, situ quidem nostram, usu & beneficio omnium. Neminem voluit vir beneficentissimus nisi solo nomine audire peregrinum: nullis fores occludi jussit; illos si excipias, quorum mentes crassâ adeo occallescant ignorantiâ, ut tanti non sentiant beneficii desiderium: sed his ipsis, si non aliud, mirandi tamen copiam legavit; oculis possunt, si non animis, litare. Quosnam etenim sacra ædificii majestas, stupendæ molis fabrica, justissimâ sui admiratione non affecerit? Quosnam incredibilis librorum apparatus (quorum vel titulos evolvere novennale opus) non percelluerit? Ignaris æque ac literarum peritis hoc commune est, nempe ob-

 stupescere.

ſtupeſcere. Verum enimvero in hoc maxime laudandus es, Bodleie, quod ad vulgi captum non aptaveris munificentiam. Aliud aliquid præter os ſublime, & erectam corporis ſtaturam requiritur, quo reconditiores tuas eruamus opes; opes, quibus laus eſt peculiaris majores eſſe, quam quæ prædicentur. Cum antiquâ Ptolomæi Alexandrina, aut ingenti Vaticanæ florentis mole, nolo hanc noſtram conferre Bibliothecam: ſatis ſit dixiſſe, magnum Bodleii animum hac in re, ſi non alias, Cæſarem ſimul & Pompeium eſſe ſecutum, nec ſuperiorem, nec parem ſuſtinendo. De feraciſſimo hoc muſarum Domicilio leve eſſet pronuntiare, quod ſicubi literæ funditus periiſſent, ſi actum eſſet de artibus & ſcientiis, hinc in integrum poſſet reſarciri jactura. Quicquid enim antiquorum commendat ingenia, hic perenne jacet laudis monumentum: quicquid prius inventis addiderunt neoterici, ſeu ad jucundum, ſeu ad utile ſpectet, catenis illigatum noſtris reperias. Adeo geſtiunt omnia apud Bodleium exoptatâ frui captivitate. Innumera eſſe literarum emolumenta facile agnoſcitur: ſtabili huic innixa fundamento Roma olim ſupra cervices cæterarum omnium ſe erexit gentium, totiuſque terrarum orbis evaſit domina. Incredibiles armorum ſucceſſus, non numero, non militum robori acceptos potuit referre; his ſuperiores ſæpiſſime experta eſt hoſtes: ſed ingenio, prudentia, diſciplinâ profligavit barbaros; teliſque quæ literæ ſuppeditant inſtructa, non tam ad prælia, quam ad victorias, ad triumphos deſcendebat: Tanti erat firmiſſimo literarum circummuniri præſidio. Quantum itaque tuo nomini debetur, Bodleie, qui addidiſti optimis, ut ſint eadem perpetua? Sed quis in laudes tuas ſufficit (ſingula cujus facinora debitum hoc ſibi vendicant encomium, quod eſſent in ſuo genere abſolutiſſima) niſi quod maximus tui extiterit laudator, quiſquis vitam fideliſſime recitaverit. Et ſi ab ineunte ſumamus initium pueritiâ, in illa nihil excuſandum, nihil præter ætatem puerile invenimus. Prætextam enim nondum exuerat, cum mirifica ingenii indoles ipſum utriuſque linguæ, Græcæ ſimul & Hebrææ, attentum dedit auditorem; & quaſi leve hoc eſſet tantis humeris pondus, ſtudiis etiam vacavit Theologicis. Unde æque mirandum videretur, poſſe dari tam præcox ingenium, aut

datum

datum ad maturas fruges posse pervenire. Sed nescit summum Bodleii acumen flaccescere, ætate & annis confirmatur. Hoc celeberrima Mertonensis societas, quæ adolescentem excepit, gratabunda testatur. Si virorum de ecclesia, rep. literis optime meritorum habeatur ratio; aut numero plures, aut dignitate superiores, frustra alibi quæsiveris; si ex illis ornatissimum desideraveris, Bodleio primas deferre, nulla hæsitatio. Intra illos parietes magnam, quam sustinuit, expectationem non fefellit; parum hoc est, imo multis gradibus superavit. Si apud Gallos egregia indoles Græcæ linguæ fecerit auditorem, eundem maximus in literis profectus, summa in studiosos benevolentia ejusdem hic professorem fecerunt; nec fine stipendio mereri ullam huic injicit remoram, cui satis erat aliis profeciſſe. Sed quid minutiora commemorem, cum numerosa adeo sit Bodleii gloria, ut provincia sit æq; difficilis omnes ejus laudes vel leviter percurrere, ac unicũ aliquod pro dignitate enarrare facinus. Nihil itaque de summis eloquentiæ viribus dicam, quas per longam annorum seriem feliciter exercuerat Publicus orator, & delatos communi omnium suffragio Academicos honores tacitus prætereo. Angustis totius Angliæ, nedum Academiæ, cancellis tanta non potuit circumscribi virtus. Apud exteras gentes adeo inclaruit Bodleius, ut prudentissimis ejus consiliis, tanquam oraculi responso, res gravissimas concredere non dubitarent. Frustra Belgæ Hispanorum excussérant jugum, se in libertatem vindicaverant, servitutem rursus passuri, eo graviorem quod libere aliquando vixissent: Actum esset de illorum rep. ni subitam afflictis rebus adhibuisset medelam, ni prudenti rerum moderamine scissuras adunasset Bodleius. Et si apud Batavos Jovis locum suppleverit Statoris, celsissimus Galliæ Princeps tutelarem hunc sensit genium. Eadem prudentia nefariis rebellium insidiis obsessum, & pene non captum liberavit Regem: Urbe, ne dicam Imperio, depulsum ad avitas sedes revocavit, in pristinum asseruit Majestatis splendorem. Tantis auctus honoribus in patriam reversus est, omnium plausu, omnium admiratione exceptus, sibi tantum uni non placuit: non quod pœnituerit potentissimum Galliæ Regem sibi devinxisse, aut conservatæ à se reip. gloriam reportasse: Sed indignatur

gnatur vir Illuſtriſſimus propter res apud exteros geſtas, fama licet maxima, inclareſcere, cum nullum pietatis ſuæ erga patriam publicum hactenus extitiſſet monumentum. Hiſce excitatus ſtimulis protulit tandem maximum illud & immortale opus ad quod feſtinat oratio, cui debita hæc conceſſa eſt gloria, quod eſſet noviſſimum. Ponite ante oculos chariſſimis orbatam liberis matrem; liberis, quorum deſideria, non tam materna pietas, quam maxima filiorum merita deplorare jubent: fingite eoſdem non communi pleriſque mortalium fato, ſed morte repentinâ ſublatos; non hoſtium telis confoſſos, ſed ſeverioribus amicorum inſidiis oppreſſos. Quanta hæc pientiſſimæ matri miſeriarum ſcena? Quis modus juſtiſſimo dolori eſt imponendus? Sed non ficta loquor, majora olim paſſa eſt mater Academia, crudeles experta laniatus hominum cæco quodam & fanatico abreptorum zelo. Conſpexit filios ſuos (autores immortalitate digniſsimos) quod ſuperſtitionem olerent, hoc eſt, cenſorum excederent captum, flammis damnatos; verbo dicam, florentiſsimam à reformantibus (proh ſcelus!) proſtratam lugebat, reſurrecturam deſperabat Academia Bibliothecam. Sed obortas haſce triſtitiæ nubes benigna diſpulit Bodleii præſentia, medicam continuo afflictæ matri adhibuit manum, amiſſaſque non tantum reſtituit vires, ſed novas, ſed vegetiores indidit; unde prope dixeram, tanti erat miſeram fuiſſe Academiam. Ignoſcite vero, Academici, ſi hic ſiſtatur orationis curſus, ſi nobiliſsimum ulterius non proſequar argumentum; didici jam tandem ſilentio & admiratione melius exprimi poſſe illud opus, quod præter Bodleium ſuſcipere nemo audebat, perficere nullus poterat.

MAJOR

Major eſt Principi gloria aliena invadere, quàm ſua tueri.

DE rebus iſtis hodie agitur, Academici, quæ omnium animos & oculos ad ſe rapiunt & convertunt; De principe, inquam, & gloriâ: De his nihil novum, nihil inauditum dicam; ea dicam, quæ vos certiſſima habetis, quæ animis veſtrûm omnium, ac intimis præcordiis inſcripta atque penitùs infixa ſunt. Scilicet gloriam iſtam, quæ à devictis gentibus, à triumphatis hoſtibus, ab erectis trophæis, ab ampliato imperio parta eſt, maximam eſſe, quæ principi ullo modo accidere, vel potiùs quam ille virtute ſuâ ſibi parare poſſit: illud eſt, quod putamus, quod ipſo ſenſu percipimus, quod mente, quod (quicunque, ut ſentimus, loquimur) linguis denique fatemur omnes. Communis is hominum ſenſus, communis vox; ut meritò in tam concordi, tam unanimi omnium conſenſu, Naturæ legem quandam agnoſcatis, non tam gentium ſuffragiis latam, quàm patefactam; quam ſi qui ex animis eradiçare, ac evellere ſtudeant, eruant etiam illi cæteras iſtas notiones communes, quas eadem illa Natura in mente noſtra inſeruit, quas hactenus conſervavit, quas in æternum eſt conſervatura. Si veterum hiſtorias, ſi retroacti temporis monumenta ſcrutari velimus, quid uſpiam glorioſius, quid magnificentius ſe nobis offert, quàm Alexandri & Julii Cæſaris nomina? Domuerunt illi gentes immanitate barbaras, numero infinitas, locis disjunctiſſimas, regionibus vaſtas; eâ celeritate latiſſimos terræ tractus victoriis ſuis illuſtrârunt, quâ peragrari poſſe videbantur. Hæc eſt virtus bellica, quæ eorum laudes tam latè jam ſpargit, quàm latè olim terrorem circumtulerunt arma; ut nullæ ullibi gentes ſint tam barbaræ, tam literarum rudes, quæ de eorum gloriâ conticeſcant; nullæ tam immenſo locorum intervallo diſſitæ, quæ in eorum laudibus celebrandis non conveniant. Nemo eſt (credo) tam male ſanus, qui horum gloriam comparatam velit cum illâ veterum Aſſyriorum Regum, quorum nomina vix nobis ſuperſunt, nec alii jam uſui inſerviunt, quàm ad vacuos iſtos temporum hiatus adimplendos, quos ipſi olim inertes tranſegerunt; vel Ægyptiorum illorum, qui extructis vaſtis lapidum molibus, æternam ſibi gloriam iſtam fruſtra ſunt polliciti, quam aggeſtis devictorum hoſtium acervis feliciùs ſuperſtruxiſſent, ultra Pyramides omnes duraturam. Sic nos de ſeculis præterlapſis judicamus, ſic poſteri de noſtro judicabunt; ut, ſi qui noſtrum aliter de hoc ſentimus, nulla alia cauſa eſſe videatur, quàm quòd

de istis, quia præteritis, sine amore & odio, sine invidiâ, sine timore; de hoc, quia præsenti, perturbatè, & ut de rebus propriis solemus, non sine passione judicamus; dum glorioſa ista facinora, quæ vel meticulosi aggredi ipsi non audemus, vel desides negligimus, in aliis expaveſcimus, ac propterea calumniamur. O incredibilis veritatis vis! ô invicta & efficax ejus potentia! in iis, quæ scientes fateri tamen nolumus, sensum saltem noſtrum certissimis indiciis vel inviti propalamus. De hoc tam illustri omnium consensu, quem & ipse ille adversarius meus faciliùs in se dissimulare potest, quam extinguere, quid vos sentiatis, jamdudum intelligo, quid & ipse sentiam, quid ille etiam sentire debeat. Quid ergo sentit? Credit nimirum paucos eos esse, qui rectè sapiunt, & sedatum sapientis judicium insipientum omnium consensui anteferendum, qui nunquam non in errore consentiunt. Ita & vos omnes, & ego sentimus, ac deinde nè nihil illi concessisse videar, id etiam concedam, quod tamen plus esse puto, quàm vos unquam postulavissetis, vel quàm ego mihimet persuadere ullo modo possem; consensum licet quàm maximè universalem, falsum esse posse, & omnes gentes, omnes homines in mendacio convenire. Nihil jam admittam, quod rectæ rationi non modo consentaneum, sed & eâdem pleniſſimè evictum non sit. Quid ergo? Nonne ipsa illa ratio suadet, majorem esse principi gloriam alienos fines invadere, quàm suos tueri? Ego sanè adeo usque majorem esse percipio, & penitùs persuasus sum, ut cum hanc maximam esse agnoscam, illam nullam esse ducam. Quanquam id forsan optatius mihi videatur, ac instituto huic magis consentaneum; tuendi imperii gloriam majorem etiam, quàm ipse sibi falsò imaginatur adversarius, statuere: cum quantacunque sit illa, major semper futura sit hæc noſtra, & quidem ita major, ut pro alterius augmento proportione continuò creſcat. Etenim attendatis, obsecro, Academici, primò rebus ipsis; deinde utriusque eventui, eique vel prosperо, vel funesto. Cum ingruant hostes, cum circumvolitent armatæ copiæ, cum ferro & flammis omnia circumquaque devastent & depopulentur, quæ gloria principi esse possit? quod illustre & generosum facinus, si tum demum arma capessat; si enses faucibus suis intentatos repellat, vel inimicorum manibus extorqueat? si pestem istam ac perniciem, quam in suum & suorum capita machinati sunt hostes, in ipsorum pectora rejiciat; nisi id forsan in Principe magnificum esse contendatis, quod in viliſſimo quoq; mancipio videmus quotidie, & contemnimus? Siquidem nemo est tam perditus, tam abjectæ, tam desperatæ fortunæ, qui jugulum suum inultus percussori permittat, qui imminens malum non vi aliquâ aut dolo amo-

amovere conetur. Infimum quodque animaleulum calcatum contra obnititur, & morſum remordet. At verò gentem finitimam, nullâ urgente neceſſitate, ultrò ad arma provocare, id, ut nunquam non cum aliquâ fortitudine eſt conjunctum, ita ut plurimùm non ſine maximâ ſuſcipitur animi firmitate. Jam ſi eventus examinemus, & primò quidem utrinque felices; hinc novum Dominium acquiſitum, & fines à majoribus poſitos, latiùs extenſos; illinc avita jura ſarta tecta, & fortunatè protelata; ea eſt immenſa rerum diſcrepantia, ut cum illinc ſpectemus vetus Imperium, de quo iniquus foret princeps, ſi gloriaretur, quia à majoribus acceptum; injuſtus, ſi non defenderit, quia ideo acceptum, ut poſteris ſedulò traderet: hinc novum intueamur, in quo victor princeps nullum gloriæ ſuæ participem agnoſcat; tota illa, quantacunque eſt, (& certè eſt quàm maxima) tota eſt, inquam, ſua; à virtute ſuâ ipſi donata: nullam ejus partem decerpunt anteceſſores, nullam avus, nullam pater; ipſa illa rerum humanarum domina fortuna ſe in hujus ſocietatem laudis non ingerit, niſi ut comes & pediſſequa; cæteris rebus humanis dominatur; ſoli virtuti ſervit. Hoc eſt imperium, de quo meritiſſimè glorietur Princeps, cum nemini acceptum referat, nemini tranſmittere teneatur; ac propterea, ſi hæredibus tranſmittat, non ut cæteri uſufructuarii, æquus adminiſtrator appellabitur, ſed liberalis donator. Deinde ſi eventus utrinque infelices ante oculos ponamus, illinc ereptum imperium, hinc novum non acquiſitum; cum illinc ſummum ſit dedecus, hinc præter ſucceſſum nihil deeſt ad ſummam gloriam. At verò, inquiunt, injuſtum eſt alienos fines nullâ injuriâ laceſſitum invadere; contra philoſophiæ regulas, ſorte ſuâ non eſſe contentum. De juſtitiâ jam dicam; de philoſophiâ, vitio iſto communis vitæ, & humani generis corruptelâ iterum dicturus. Quæro itaque à vobis, Academici, quid in principe injuſtum eſſe poſſit, quod ipſi collubeſcat, contra gentem exteram, nullo ipſi fœdere conjunctam? omne jus fundatur in fœdere, & ubi nullum eſt fœdus, nulla eſt injuria: Nec princeps ullus imperium iſtum, quod tenet, ſuum vocare ritè poteſt, niſi reſpectu ad alios ipſi fœdere ſociatos, vel quo uſque poſſideat, ac contra vires quaſcunque valeat poſſidere: quippe gradus iſti, quibus ad quemcunque thronum aſcenditur, ſanguine maduerunt; ac quo jure ipſe, vel anteceſſores ſui Imperium ab alio eripuerunt, eodem planè (& hoc eſt ſummum, ſi nullum intercedat fœdus) ab ipſo poteſt adimi. Tandem verò princeps aliis injuſtus utcunque non ſit, verendum tamen, nè ſedatam iſtam animi quietem, nè dulce ſuum otium ultrò perturbet; ita

nempe

nempe ſuggerit lepida iſta philoſophia, quæ talem nobis Principem fingit, qualem Epicurus ſibi deum ; inertem, deſidem, nullis occupatum negotiis, ac ideo felicem, quia otioſum. Fateor me nunquam hactenus mente aſſequi valuiſſe, felicitatem iſtam, quam in otio ponunt ; ſit tamen ille feliciſſimus, ſit beatiſſimus humanæ vitæ ſtatus, concedam hæc omnia : quamdiu aliquid afferant, quod cum ſpecie obtendi poſſit, feram : id demum ferre non poſſum, quòd glorioſum eſſe contendunt. Honoris templum in montis faſtigio prudenter collocarunt veteres ; eo intelligi volebant, ad gloriam nullum, niſi per acclive, patere iter. O glorioſa Roma, ſi nunquam de Gallis, Germanis, Pannoniis, Dacis, Numidis, Syris, Parthis, Armenis triumphaſſes ! ſi nunquam tot gentes, tam barbaras, tam feroces, tam diſſitas deviciſſes ! nunquam cum Carthagine de univerſi orbis terrarum regimine decertaſſes ! ô glorioſa iterum futura, ſi te tot tuarum victoriarum, tot rerum ſapienter, fortiter, magnificè geſtarum pœniteret ! Si repudiatis domitarum gentium ſpoliis, ſi neglectâ veteri iſtâ tuâ armorum gloriâ, in latebris iſtis, intra quas te concluſit pater Romulus, te denuò recondere ; ac paucis colliculis contenta, ſerò tandem ad caſas redires ! Quam inglorium id fuit, quam impotentis animi, quòd anguſtis iſtis arvis, quæ primi tui arabant coloni, multâ glande, & montanis fagis beati, non contenta, latiùs prorepiſti, quòd Euphratem, Iſtrum, Atlantem, & Oceanum victricibus aquilis luſtraviſti, hiſce etiam finibus coërceri neſcia ? At verò ſi Princeps ſuâ, quidni & nos ſorte noſtrâ contenti eſſe debemus ? Quid artes excolimus, libros terimus, ſtudium inutile ponimus ? Quid aſſiduis laboribus, nocturnis vigiliis, in arduis iſtis Philoſophiæ & Matheſeos perſcrutandis noſmet fatigamus ? Ad vos provoco, Academici ; nihilne quæritis tam pertinaci, tam improbo labore, præter beatum iſtum animi habitum, quîcum (mihi credite) nemo naſcitur, quem nemo unquam aſſequetur ? At ſi nobis liceat honores ambire, gloriam appetere, vitæ hujus commoda virtute noſtrâ lautiora nobis & ampliora procudere ; quin & idem principi liceat : ô miſeram ! ô deteſtandam principum ſortem, quibus ita à fato comparatum ſit, ut ipſi ſoli ſint inutile ac deſes mortalium genus ; quibus omnis ad gloriam præſtructa eſt & præpedita via : nunquam, Academici, nunquam id credam, vos ita ſentire poſſe : poterit id conſultò & de induſtriâ factum videri, ſi quis ea, quorum ipſe ſibi conſcius ſit, laudaret ; id prodigii loco habendum, ſi quæ aliis ingloria, contumelioſa, turpia eſſe putatis ; in iis vos ipſos quotidie verſari confitemini, verſatos fuiſſe gloriamini. Verumtamen hæc omnia

tandem

tandem revocemus, & quæcunque, ſi minus ornate, nervoſe ſaltem hucuſque diximus, indicta reputemus: videatis, quantâ cum fiduciâ, quantâ cum ſecuritate in hac cauſa agam; quam reformidem, ne adverſarius meus ea vobis hodie perſuadeat, quæ vobis ipſis nunquam perſuadere potuiſtis. Magna ſit principis gloria ſua tueri; & ne parum largitus fuiſſe videar, quantacunque ipſe volet. Hinc ergo creditis vel minui, vel obſcurari poſſe alienos fines invadendi gloriam? tantum id abeſt, ut illuſtrior etiam fiat; cum qui alienos invadat, is optime tueatur ſuos. Quam immenſam verborum copiam, quam incredibilem dicendi ubertatem ſuppeditarent hujus rei exempla, ex omnigena hiſtoria repetenda? quam fuſe mihi enarranda forent glorioſa iſta Agathoclis & Scipionis Africani facinora, quorum ille ex Sicilia, hic ex Italia, uterque in Africam & hoſtile ſolum, bellum patriæ funeſtum cum gloria ſua, & reipub. ſalute tranſtulerunt? Hæc tamen omittam, & ideo quidem omittam, ne feliciter potius ſucceſſiſſe dicatis, quàm prudenter fuiſſe ſuſcepta; quanquam ea, quæ eodem modo ſemper eveniunt, non tam à caſu producta, quam à prudentia ordinata videantur. At fingamus noſmetipſos medio gentium bellicoſiſſimarum poſitos; ſint illæ opibus graves, armis claræ, claſſibus inſtructæ, commeatu abundantes; cæteris, quæcunque ad bellum finitimis inferendum, ad illatum proſpere propulſandum optari queant, beatiſſimæ: hoc tam miſero rerum ſtatu, ſi inertes ac deſides eſſe velimus, ſi fortes glorioſo; quis noſtrum tam averſus à vero, tam oculis, tam mente captus eſſe poſſit, qui expectare velit populos iſtos, qui bellum facere & poſſe, & non nolle cenſendi ſunt; ſpem imperii & rerum ampliſſimarum, ultro ſibi per ſocordiam noſtram oblatam neglecturos, & ſalutem noſtram opibus ſuis antepoſituros? Hæc profecto non credimus, & tamen viri fortes reip. ſatisfeciſſe videmur, ſi hoſtium furorem & tela repellamus; glorioſius eſſe putamus, impetum ſuſtinere, quam facere. At ſi ulla ſit Imperii tuendi gloria, glorioſius etiam hoſtes invadere, quam invadentes repellere; ideo ſaltem, quia tutius. Neque enim par eſt belli publici conditio, & gladiatorum pugnæ; in hac ſi inclinato, vel leviter inflexo corpore, aggreſſoris devitetur ictus, facilis eſt victoria contra imparatum & in-

defenſum: In illo cædes cædi viam parat, & cladi clades: incendium per ædes ſparſum contiguas rapit, nec contranitentibus hoſtibus & ventis facile poteſt fiſti. Difficile eſt longum veternum excutere, & animos ac manus, utroſq; bello inſuetos, ex improviſo armis aſſuefacere. At vero ſi militum præſidia, ſi nocturnæ vigiliæ, ſi munimenta, foſſæ, parietes, ſapientum denique conſilia, contra hoſtes iſtos, in quorum medio poſiti ſumus, tutos nos præſtare valeant; contra hos tamen qui in medio noſtrum ſunt, qui per deſidiam & otium nati, per nequitiam, luxum & ſcelus aucti, inteſtinam aliquam quotidie perniciem reip. moliuntur, parum valebunt. Iiſdem illi munimentis ſunt tuti, iiſdem mœnibus continentur & conſtringuntur; ipſæ illæ nocturnæ vigiliæ, quæ civium ſecuritati intendere debeant, nefariis eorum cœtibus pariter præſidio ſunt; nec conſilia iſta metuunt, quorum ipſi non ſuſpecti participes fiunt. Si tamen illuſtrantur, ſi erumpunt omnia; ſi neque nox tenebris obſcurare clandeſtinos cœtus, neque privata domus conjurationis vocem parietibus continere poteſt, facilius tamen deteguntur, quam comprimuntur: Multi ſunt in rep. tam ſtulti, ut graſſantem perniciem nequeant videre; multi tam improbi, ut nolint: ut deleantur ſeditioſi, vel ejiciantur, contra utrumque pugnandum erit; illorum cæcitatem, horum nequitiam. Si tandem diligenti principis cura, ac provida vigilantia expellantur vel extinguantur artifices ſceleris, manebit adhuc ſtirps & ſemen malorum, quod multos poſt annos in novam peſtem renaſcetur, & repullulabit. Contra hæc tam multa, tam gravia reip. pericula, unicum eſt remedium, gentes finitimas invadere: ſic reprimemus popularium furorem; ſic retundemus exterarum gentium aciem. Quin ergo tandem expergiſcamur, nec diutius in tam ingloria, tam damnoſa pace conſeneſcamus. Eamus, qua devictorum hoſtium & ſervatorum civium gloria, qua rerum ampliſſimarum ſpes, prudenter & magnifice gerendarum occaſio, qua illuſtria veterum exempla, qua communis naturæ vox, qua primævæ denique fortitudinis memoria, & virtus nos vocabit noſtra.

Major

Major Principi gloria eſt ſua tueri, quam aliena invadere.

IMbelles vi opprimere, incautis inſidias ſtruere, innocentibus nocere, immanium ferarum eſt (Academici) inter quas juſto & injuſto nullus eſt locus; quibus quicquid audent, quicquid poſſunt, id totum licere jure arbitramur. Alia vero homines decet vivendi ratio, quibus inter fas & nefas, inter turpe & honeſtum quid interſit, benignior natura ſcire conceſſit. Cum palantes & legibus ſoluti antiquitus egerunt mortales, obvius quiſque pro hoſte fuit, & infirmior fortiori in prædam ceſſit. Huic malo ut remedium adhiberent, ſocietates inire, & politias inſtituere cæperunt, quarum hæc ratio, hic finis, ut quam finguli vim propulſare non valebant, eam univerſi conjunctis opibus repellerent. Poſtea vero ſe ſuaque in tuto conſervare haud contenti, avaritia & ambitione ſtimulantibus, mali homines aliena invaſerunt, & quo flagitia ſua minus vulgo innoteſcerent, rebus turpiſſimis ſpecioſa impoſueruut nomina, ſc. expilatarum gentium ſpolia, trophæa nuncuparunt; & bellum vocarunt, quando exercebant latrocinium. Cur autem adeo infamis audit Eroſtratus, qui ut poſteris notus eſſet Dianæ templum incendit; cum illi, qui magnas ſubvertunt urbes, & amplas regiones populantur, in titulis ſuis hæc ponant; & Numantini, Macedonici, aut Africani cognominibus ſuperbiant? De infeſtiſſimo ſuo hoſte, ipſa ſc. humanitate, maxima reportantes trophæa; atque ſeipſos tum demum naſci exiſtimarunt, cum alios morti dederant. Dici vix poteſt quanta peſtis, quantum monſtrum eſt rapax & ambitioſus princeps; nec enim exprimi queant, aut quæ in bello victores admittunt ſcelera, aut quæ victi patiuntur mala. Quis non horret videre urbes præclaras in cineres converſas, regiones totas pulſis incolis in ſolitudinem mutatas; fertileſque agros, ceſſante cultura, ſitu & ſquallore obductos, vepribus & dumis horridos? Quis ſiccis oculis aſpiciat, ingenuas virgines ad ſtuprum raptas, matronas graves

ves ludibrio habitas, & venerandos ſenes contumelioſe & indigniſſimis modis tractatos, quos nec ætas, nec prudentia tueri potuit? Quis niſi attonitus audiat, captivorum querelas & gemitus, nunc amiſſam patriam lugentium, quæ in illorum ruina ſuam ploravit; nunc parentes, aut liberos crudeliter interemtos deflentium; maxime vero ſuam ipſorum ſortem, lacrymis & lamentis proſequentium, quibus in ſervitute, morte ipſa longe graviore, vivendi dira neceſſitas impoſita eſt. Ne memorem ſanguinis rivos late per campos manantes, & ex ipſis cadaveribus ſummo humani generis opprobrio extructum vallum; & ut uno omnia verbo dicam, cuncta jura tam ſacra, quam profana, ſumma impietate paſſim violata. Apage Othomanicam iſtam gloriæ ſitim non niſi immenſo ſanguinis oceano ſedandam. Apage veſanum dominandi pruritum exteris, ſuis, immo & toti orbi gravem. Tantine popularis aura, & inanis triumphi honos, ut tot diruta, tot incenſa oppida, totaſque regiones igne & ferro vaſtatas penſare valeant? Sed cum incerta admodum ſit Martis alea, quis Jani templum aperturus, ſibi promittere audeat felicia ſe arma moturum? Quanto igitur ſatius eſt alienis non inhiare, quam res ſuas in diſcrimen adducere? Parum eſt quod bello quæritur, & quo facile carere poſſumus, magnum quod amitti poteſt. Nulla quippe tanta poteſtas habetur, quin gratior poteſtate ſit libertas; quam ſæpius amitti, ſemper autem in bello periclitari conſtat. A diris autem belli malis, ad jucundius argumentum ſe convertit ſtylus, nempe pacifici principis laudes; qui diis ipſis ſimilis cenſendus, qui acceptum nempe à majoribus regnum poſteris tradere ſatis habens, nunquam niſi coactus & ſui tuendi cauſa ſumit arma; neminem ille injuſte, nec quiſquam illum impune provocat. Et certe nulli magis convenit acriter ſua vindicare jura, quam cui aliena invadere ſumma religio eſt. Novum equidem ille cum Alexandro videtur exoptare mundum, ſed longe alio conſilio, nempe ut ſpatioſo ſuo animo par ſit benefaciendi materia; & benevolentiæ ſuæ fines hucuſque ad unicum mundum contractos, ulterius poſſet extendere. Quid autem in eo potiſſimum celebrem, juſtitiam an fortitudinem, prudentiam an animi moderationem

an-

anceps plane & incertus hæreo, adeo harum virtutum quælibet me totum in ſuas partes trahit, ut ex hac pulcherrima lite omnes pari jure victrices, illius ſplendorem undequaque augent. Tali certe principe nec majus, nec divinius donum humano generi, à diis immortalibus tribui poteſt. Hujus victoriæ veram laudem merentur, utpote qua de hoſtibus ſubactis, non de vicinis per injuriam ſpoliatis referuntur. Hujus caput vere exornant palmæ oleis intertextæ. Hujus clariſſima fulget gloria, nullo dedecoris confinio imminuta, nulla avaritiæ, vel ambitionis labe obfuſcata. Non enim bellis bella nectens, novam ſemper victricibus armis materiam quærit, nec bellum gerit, ut triumphet; ſed triumphat quia vicit, & vincet quia nunquam injuſta capeſſit arma; hoſteſque ſuos virtutis tantum imperio ſubigere ſtudet. Pax, quæ raro aliis, illi ſemper finis eſt belli; nam quod difficillimum eſt, & inſigne moderati animi ſpecimen, quibus terminis imperium, iiſdem etiam imperandi deſiderium coercetur. Pacis autem ſtudio quid principi glorioſius? Cujus innumera commoda, uſu nobis & experientia ſatis cognita, perſequi nimis longum eſſet. Gratulari utcunque liceat feliciſſimum Britanniæ noſtræ ſtatum, ubi læta & pacata omnia, ubi artes vigent, commercium floret, ubi ſua Regi majeſtas, ſubditis libertas, Eccleſiæ dignitas, literis & Academiæ honos conſtat, quæ cum tota Europa diris belli tempeſtatibus jactatur, vere alter orbis audit, & invidenda tranquillitate, omniumque bonorum ineffabili affluentia beatur, ubi felici certamine contendunt princeps & ſubditi, utrum ipſe melius regat, an illi obtemperent.

TRANSACTIO PHILOSOPHICA,

SIVE

Metamorphosis Atomistæ in Muscam.

IMPERII sacros Regina scientia fines
Fixerat, immensosque diu toto orbe triumphos
Inviolata egit, postquam fundamina certa
Invictus regni posuit Stagyrita futuri;
Et nullos hostes, ipsis venerabilis annis,
Invenit; donec tandem arma rebellia sumsit
Ultima progenies, tantaque indigna Parente;
Quam fœdo (ut fama est) tulit ignorantia partu.
Exulat hinc cum pace pudor, subiitque tyrannis,
Ingeniumque ferox, atque artes mille nocendi.
Vidi ipse immeritas animalia solvere pœnas,
Tortor ut accessit Busiride sævior ipso,
Vivaque mox cultris præcordia nudat acutis.
Vidi ego perspicuis alia expirantia vitris;
Postquam vitales cesserunt follibus auræ,
Cum gemitu insontes animas simul exhalârunt.
Quis Divûm interpres dicat, quo numine læso
Tam fera tartareis pestis sese extulit undis:
Fortunæ incertis quæ casibus omnia ponit,
Lucentesque polos, & terras æquore cinctas?
Nullus enim rector cœlesti fulminat aulâ,
Conditor ipse sui cœli; verum impete cæco
Particulas pulcrum Fortuna coegit in orbem.
Quisque sibi Deus est, & habet sub pectore numen.
Quod si sacra parens periturum deserat orbem
Natura, & mundi moles operosa laboret,
Ingeniosa nigris sudabit turba caminis,
Et fornace suo omnipotens dabit omnia Cyclops.
Sensit ubi Natura sibi nova bella parari,
Ulterius non passa malum est, sed limina Divûm
Indignata petit, vestis quam candida circum
Velavit, gemmis fulgentibus intertexta:
Exhibuitque procul, miris variata figuris,
Astrorum motus, lunæ fratrisque labores.
Illa ubi sydereâ vestigia fixit in arce

Limen

Limen adit ſuperum, ſacraque ita voce profatur.
Noſtra Syracuſius fragili miracula vitro,
Cœleſteſque ſenex audax cum pingeret orbes,
Ornaſtis placido, ſuperi, cœlum omne cachinno:
Mirati his tangi mortalia pectora curis.
Prima quidem melior, Saturno rege beata,
Curarum immunis, quibus hæc nimis æſtuat, ætas:
Nondum ſollicitæ rerum cognoſcere cauſas,
Mollia ſecuræ peragebant otia gentes;
Me varias volvente vices & lucis & anni.
Sed nova gens hominum, & male ſedula nata propago eſt,
Omnia quæ ſtrepitu & ſtudio perturbat inani;
Me ſequitur vigil iſta cohors, & mille fugacem
Impia ſcrutatur latebris, poſitoque pudore,
Longævam jactat ſe denudaſſe parentem.
Aſt ego, dum nudam paſſim me exponere tentat,
Per labyrinthæos fugio pudibunda receſſus;
Inſequitur, juvat igne latere, requirit in igne;
Mox undis miſceri, & ſedula quærit in undis.
Ima ſæpe etiam volui tellure recondi,
Cogor at effoſſis iterum remeare metallis.
Mox etiam aereo volitans ſuper æthera curru
Detegor, & tenues librantur lancibus auræ.
Sæpe vel arboreo quæſivi in cortice ſedem,
Nullam turba mihi dedit imperioſa quietem.
Prenſanti ſimilem, ſimilem jam jamque tenenti,
Per varias rerum ſpecies, perque omnia duco
Nondum intellecta, & vanâ ſpe ludo ſequentem.
Quin turbam hanc juſtas jamdudum, O numina, pœnas
Solvere ſtultitiæ fas eſt, mentiſque profanæ:
Non etenim quivis, alti licet incola cœli,
Omnia Naturæ poterit ſecreta referre.
Aſſenſere Dei, ſolio cum Jupiter aureo
Alipedem, ut pœnas ſumat, jubet ire miniſtrum.
Aera per medium paribus Cyllenius alis
Labitur, & doctas ſapientum contigit ædes.
Tum denſam nebulam circum ſe fundit, & intrat
Per medios, ſtudia explorans, neque cernitur ulli.
Interea primus qui voce ſilentia rupit,
O ſocii, exclamat, nobis nova gloria ſurgit,
O quantum Natura novæ jam ceſſerit arti!
Debilis eſt oculorum acies, & corpora parva
Vix imperfecto pertingit acumine viſus;

Conſpicienda

Conſticienda dabit minima hoc mirabile vitrum,
Quodque manu tenuit, vitrum porrexerat ultro.
Forte levi circumvolitat dum muſca ſuſurro,
Tramiteque incerto ſpatioſam circinat aulam,
Hærebat tandem, de ſummo pendula tecto.
Ecce aliquis ſubito graciles ex ære catenas,
Retiaque & laqueos, tales quæ fecit in uſus,
Applicuit, muſcamque tenaci compede vincit.
Inde interpoſito ſpectant miracula vitro,
Mirantur molem immenſam, atque immania membra,
Igneus ardor ineſt oculis, ſtat corpore toto
Sylva minax, (neque enim viſus ſpinoſior Hiſtrix)
Nunc patulos luſtrant intento lumine rictus,
Hinc vocat attonitos ingens ex ore proboſcis;
Qualem nec Lybicæ jactabit bellua terræ,
Turritas moles & propugnacula geſtans.
Tum vero denſas aufert Cyllenius umbras;
Quaſque hominum turbas ſolers induſtria fecit!
Hic labor, hoc opus eſt! ſic famam quæritis, inquit.
Accipite ingentis juſtiſſima præmia curæ;
Vos eritis quicquid vitro ſpectaſtis in illo.
Inde (fide majus) varios traxere colores,
Et ſolitâ incipiunt ſenſim decreſcere formâ;
In pennas abiere manus, pro crine decoro
Fulgenti totum tegitur lanugine corpus;
Pro pedibus, lentis tenuantur crura flagellis,
Juſtaque jam moles, facies & prona videtur.
Mox celeri incedunt paſſu, ſubitoque ſub auras
Tolluntur, ſummique petunt laquearia tecti.
Antiqui remanent verſa ſub imagine mores:
Nam vitæ (ut referunt) non immemor ante peractæ
Mentem animumque illis prudens natura negavit.
Hinc vano ſtrepitu, cæcoque errore feruntur,
In præceps agit Eurus atrox, mox turbine raptat
Sublimes agitans, & inania prælia miſcet.
Mille etiam peritura modis circum agmina ducunt,
Fucus acerba ſonans, & pictis cantharis alis,
Oeſtrumque, crabroque, & mole ingens ſcarabæus.
Sæpe apibus ſonitu ſtridenti ubi bella minantur,
Cerea pennatis vexant alvearia turmis;
Extemplo glomerantur apes, penniſque coruſcant
Invictæ, turpemque abigunt à mœnibus hoſtem.
Ah quoties teneras morſu læſere capellas,

Et

Et ſole æſtivo laſſus, ſpatioque viārum,
Frontem occurſantes damnavit ſæpe viator!
Sæpe renaſcenti cum vere coagula traxit
Lacteus humor, & alto à margine pinguior extat,
Mille venenatis fundunt ſeſe agmina roſtris,
Impuro & niveum nectar corrumpitur hauſtu.
Non vobis dulces diſtendunt ubĕra vaccæ,
Forte ſuperveniens exclamat ruſtica conjux;
Inde graves turmas, & poto nectare tardas,
Indignata procul manibus virgâque repellit.
Sed meritas ſolvunt pœnas, cum accendere parvam
Præmonuit nox alma facem, volat inſcia turba
(Sive hic flammantes ſylvas, campoſque nitentes
Credit, ſeu rapit in certam ſors dura ruinam)
Per ſpatia incertis alis tenebroſa vagatur,
Ad ſeſe attŏnitam donec trahit aurĕa lampas.
Seu quondam volitans ſublimis in aere milvus,
Subjectis luſtrans leporem cum vidit in arvis;
Flectitur in gyrum, ſpatiiſque remotus iiſdem
Uſque videt prædam, ductis per nubila ſpiris.
Lampada ſic torto levis ambit turba volatu,
Lucenteſque pyras & non ignobile buſtum
Aſcendit demens, quæſitiſque ignibus ardet.
Sic dum nativum memorat, renovatque furorĕm,
Ingentes pœnas vitæ dat muſca prioris.

SHELDONUS REDIVIVUS

SIVE PRO

ARCHIEPISCOPO CANTUARIENSI

SOTERIA.

DUM gemit oceanus, furiis agitatur & orbis,
Arma viros laniant, & bellum vulnerat urbes;
Dum ſegnes, querimur tantùm, tot proſpera Galli:
Aurea ſolus agit ſemotus ab orbe Britannus
Secula, ſolus agit tranquillæ tempora pacis.
Nulla vident noſtras obliquo ſydere terras
Numina, non cœli nobis, non aſtra maligna,
Neve Deos querimur; felicibus eſſe Britannis
Quid vetat, aut patriis arcet ſua gaudia feſtis?
Sævius ecce armis, quovis & ſævius aſtro
Fama malum, cunctos lacrymis immerſerat Anglos:
Brutigenæ gentis ſolatia, nobile culmen
Oxonii pariterque decus, mendacia famæ
Abſtulerant, Romæ invidiam, tetricæque Genevæ,
Neglectæque nimis certum virtutis aſylum.
Non opus eſt armis noſtram turbare quietem,
Non aſtris opus eſt timidis ſua fata minari;
Triſtia mendacis patimur nos vulnera famæ,
Feliceſque necant, mediâ vel pace Britannos.
Ardens Oxonium, falſi præconis inhæret
Labris, rumoremque ægrâ præconcipit aure,
Verum finxit Amor.
Obruta tunc nimio facilis matrona timore,
Ultima præſagit, tremuit vel præſule dicto;
Sed tota, audito Sheldoni nomine, torpet.
Non mora; ter mæſtos, verſus ſublime theatrum,
Contorquens oculos, atque hinc ad ſydera, palmis
Conjunctis, vultu cœlos Parcaſque minaci
Suſpiciens, inquit; fruſtrà mea vota tot annos
Templa ferunt; fruſtrà veſtrum, Dii, numen adoro,

Aſſidua

Assiduâ superos cultrix & voce fatigo,
Sheldonum redimant avidis nisi vota sepulcris.
At si forte preces nil flectant numinis aurem,
Nil pietas, meritumque viri, nil plurima virtus,
Flecteret hoc saltem, (Divis monstratque theatrum)-
Hoc saltem potuit Sheldono avertere fata,
Atque exoptatam Musis donare salutem.
Plura loquuturam tenuit reverentia Divûm.
Altior inde dolor verbis, majorque querelis,
Solvitur in fletus, lacrymis suspiria miscet,
Invocat ingeminans Sheldoni & amabile nomen.-
Ægram tum cumulo ingenti benefacta salutant
Matrem, gratâ irâ memorat, quibus ille rebelles
Dictis raptores, pompam fuditque superbam,
Impia cùm sacras pepulerunt fœdera Musas
Oxonio, & cessêre simul, jus, fasque, piumque;
Præsulibusque datas sedes, ornataque Lambethæ
Atria, collapsas gentes, proavosque refectos.
Hæc volvens, relevata parum, se erexit, & inquit;
Quantillam partem fero vulneris? ipse Senatus
Cum populo commune gemunt in præsule damnum:
Pluraque langueścens, simul & majora, silebat.
Non tantùm raptos deflevit Roma penates,
Eversosque Deos, cùm Galli durior ensis
Indomitam flammis, & sanguine pasceret iram:
Neve tuos sic, Roma, focos, non fana, laresque,
Barbara disjectis læsêrunt fulgura templis;
Læderet at nostras tanti mors præsulis aras,
Musarumque domos, sacras & Apollinis ædes.
Mœrentûm totæ per gentes sparsa caterva,
Orphanus, & viduæ, qui Cœli cura, tuique;
Quotquot & afflictos donis solaris opimis,
Concilians æquis querulorum murmura fatis;
Ad divos, ad templa volant, atque agmine facto,
Asperiora suis curis jam fata, precantur,
Avertant: ægræ, superi, succurrite turbæ,
Et date Sheldonum, vosque hâc absolvite culpâ.

At Lambethani, quos integra fercula paſcunt,
Pauperiemque levat quorum Croydonia menſa,
Non fractis, laceriſque cibis, ſed munere pleno;
Concurrunt pavidi, raptimque altaria quærunt,
Et flexis genibus prenſant delubra gementes,
Sollicitique orant: ſiquid clementia cœli
Reſpicit afflictos, aut rerum curat egenos,
O ſuperi, prohibete minas, hunc tollite caſum;
Sheldono vitam, aut nobis concedite mortem;
Quos ſequitur vel certa fames, & triſtis egeſtas,
Hoſpitio pulſos, plenâ mensâque carentes:
Præſulis & noſtrum miſcetis funere funus.
Sic urſere Deos, donec raucedine lingua
Defecit, riguêre manus, laſſataque Clotho
Paruit, atque dedit, votis devicta, ſalutem.
Dii voluêre ſuum; ſed maxima pondera rerum,
Deſolatæ aræ, nimium deriſaque ſacra,
Sic flexêre Jovem, in noſtros ut fœneret uſus.
Sit cœli fortuna tibi, dùm numine terras,
Præſul ſancte, beas; tua, par ſuperiſque ſalute,
Ut bonitate fuit, ſit vita; perennis utriſque,
Et pariter felix, fato omni major, & urnis.
Cœlum ſerus adi, poſitis cùm ſecula turbis
Miteſcent, curiſque tuis non indiget orbis,
Sponte colens rectum, longo tractabilis uſu,
Ponderibuſque minor tutis ſuffecerit Atlas:
Lætus ubi occurret Carolus tibi tecta Tonantis
Intranti, officiique memor, quod præſtitit olim
Intemerata fides, dominum per mille perîcla
Carceris, atque maris, per vim licet, uſque ſecuta,
Aſcribet Divis, primoque locabit in orbe.
Te Carolina manus decorabit lumine puro;
Splendidior reliquis quà Laudi ſtella pudorem
Incutit, attonitis fulgetque ſerenior aſtris.

TEMPLUM ACADEMICUM
INSTAURATUM.

MUsa Theatralem toties experta palæstram,
Et meditata novos, circo plaudente, triumphos,
Sheldonumve loci Genium, doctosve paratus
Bodlæi, toties felici in carmine pingas;
Flecte gradum, paulumque sacros mirare penates,
Haud tam mole sua, quam religione verendos:
Pande sacros latices, Solymosque imitata poetas,
Grata instaurati celebres encænia templi,
Quod pietas antiqua dedit, cui nupera virtus
Optatum decus, & meritos afflavit honores.
Usque adeo Oxonia est gentis fœcunda togatæ,
Et culta innumeris, quos nutriit ipsa, patronis,
Qui decorant Musas, & quâ decorantur ab illis!
Usque adeone diu sedes dilecta monarchis
Audiit, & regni decus & tutela Britanni!
Dum lævâ sceptrum, dextrâ complexa libellos,
Augustæ frontis gerit ornamenta coronam,
Haud mage structuris, quam pulcrâ prole stupenda,
Una Europeas poterat spreviſſe sorores.
Cernite pacifico lætantur ut omnia regno!
Ut rutilant Ædes, quas incolit Anglus Apollo!
Cernite ludentes almæ circum ubera matris
Florentem soholem, formosas undique natas,
Omnes diversis studiis & distare forma.
Magnificas alias, alias juvat esse decoras,
Quin rivali omnes audent contendere cura.
Quælibet ornatum sentit speratve futurum,
Maxima pars cassas senii eluctata procellas,
Æternam sibimet spondet reparata juventam.
At pars sacra jacet! jacet heu neglecta Maria!
Et Divæ ornatum, faciemque effœta reponit;
Quæ toties bibulas doctis sermonibus aures
Pellexit, totiesque preces ad sydera misit.

Sæpius hoc uno infelix Academia, curas
Expressit, frustra votis delubra requirens,
Digna sui delubra, atque hospite digna Tonante.
Spem primam, primosque dedit Sheldonus honores,
Et pia venturis fecit præludia cæptis;
Dum Divæ vetuit misceri Palladis ædes,
Et vaga virgineo subduxit scommata templo.
Alter Præsul adest, cujus sub sydere fausto,
Et cura assidua moles operosa theatri
Surrexit, templumque simul; cui maxima velle
Summa dedit virtus, mentemque ad maxima natam:
Ille indefessus, magnisque exercitus ausis,
Spargit inexhaustos latices de fonte perenni,
Qua patet Oxonium, qua publica commoda constent,
Qua privata vocent, studio ac hortatibus instat:
Ille animo sacrum modulum, sumtusque revolvens,
Curat & urget opus, quam tanto Præsule dignum!
Conciliatque decus, quantum sinit arctior ædes.
Quis fileat laudesque tuas, tuaque ampla, Bathurste,
Munera, tercentum (proh! sacra impendia) libras!
Quis doctæ patulæve manus miracula pandat
Pro merito? tua Musa tuos instauret honores,
Tu genio, & donis, nostras depingis Athenas.
Læta diu, florensque tuis Academia curis,
Te patrem agnovit, jam magnam experta patronum,
Atria tesserulis signant distincta Bathurstum:
Marmora conclamant, hunc rostra, hunc pulpita nôrunt.
Hoc sacrum æterno sculpetur marmore nomen.
At quo Musa impar tanto tuis argumento!
Hæc tacite stupeas molimina, digna Maronis,
Digna suo calamo; stupeas venerabile donum,
Marmoreos lapides.
Nunc juvat & visu mirari, & carmine templum.
Quam supero fastu spatiosum fabrica vicum,
Et, licet ingratos, despectat candida cives:
Commoda, pulcra situ, è medio circumspicit arces
(Quas amat ante alias, solasque agnoscit alumnas)

Seu

Seu centrum Oxoniæ, ſeu cor mage dicere poſſis,
Unde fluunt, refluuntque ſacræ ſpiracula vitæ.
Auguſta aſpectu primo perſtringit ocellos
Porticus, ut niveis radiat ſuffulta columnis,
Sculpturis varia, & variâ ſpectabilis arte!
Defendit ſacros aditus pulcherrima virgo
Cum prole ætheria, (quæ maſcula gratia vultûs
Virgini ineſt prolique!) jubet procul ire profanos,
Et vetat impuros tam caſtum inſiſtere limen,
Invitatque pios, patuliſque amplectitur ulnis.
Pyramis ætherias inter pulcherrima moles
Emicat, ut ſenſim conſurgit in aëra conus,
Subjectamque baſin deſpectat lumine læto!
Hoc priſcæ pietatis opus. Sed ſerior ætas
Addidit innumeras longo, & pulcro ordine pinnas;
Auctior his ædes placitæ ſpectacula pompæ
Dat procul, & graditur, qualis Berecynthia mater
Cœlicolûm media inceſſit turrita per urbes.
At nunc Muſa oculos ſacra in penetralia flectas.
Pars ea, quâ pandunt divina oracula myſtæ,
In veterem (ut perhibent) rurſus revolata figuram,
Ad latus occiduum læta & pudibunda recedit,
Qua recta accipiens orientia lumina ſolis,
Myſtica divinæ procul aſpicit atria menſæ,
Et procul amotam ſpectat reverentius aram.
Major ſacra domus, majori lumine ridet;
Quam ſibi diſſimilis! quantum mutata refulget!
Olim qualis erat! quam parci conſcia cultus!
Quo prius aſpiceres oculis pedibuſque moleſta
Rudera, & argillæ ſolidato fragmina ſaxo
Compacta, & ſparſos lateres, tumulique pereſi
Ruptas reliquias, forſan ceimelia digna,
Et ſancte ſervanda illis, quibus unica cura eſt
Mutatos ridere lares, & ſola trophæa
Temporis, ac tritam mirari martyris urnam.
Plus ſolito jam fulget humus, jam marmore tellus
Strata, ruinoſam faciem ſulcoſque ſeniles

Lævigat,

Lævigat, in vitri morem, chalybisve politi,
Ut nulla æquatos gressus festuca moretur.
Qualis planities in pictâ valle renidet,
Quam manus artificis, saxumque volubile rasit.
Machina stat medio vocalis pegmate fixa,
Et segetis pictas classes ostentat ahenæ:
Hæc animata sui motu pulmonis anhelo,
Circinat excussum taurino è carcere ventum,
Et patulos vario tubulos modulamine replet.
Ut micat erranti digito libata, gravesque
Inspergit numeros operoso pollice pressa,
Concitat affectus tardos, lenitque rebelles!
Totas harmoniæ vires complectitur una,
Una potens cognatæ animæ, superumque choreis
Æmula, divino miscet commercia plausu.
Aspiciam quocunque loci, nitidum omne coruscat,
Undique lautities, merita undique gratia templo.
En, qualem matrona velit, reverenda venustas!
En pulcra hæc sine luxu ædes! non illa paratus
Magnificos ambit, non qualem curia pompam
Romana ostentat, Venetive superbia Marci:
Non quantum celebrata crepat Lauretta sacellum,
Lauretta Italiæ stupor & mercatus, onusta
Furtivis spoliis, quæ credulus obtulit hospes.
Hanc (quibus est cordi fallax pietatis imago)
Luxuriem jactent, at nos juvat esse modestos,
Dum licet esse piis: at nostra sacratior ædes
Custodem vivâ describit imagine Matrem,
Et Divam referens solitâ pietate, decoro
Cultu etiam gestit Divam assimulare Mariam,
Regis Idumæi pompas, fastumque perosam.
Quin tandem converte oculos. Rude pone sacellum,
Relligione diu sacrum, senioque verendum,
Cœlis nota domus (qua vectigale quotannis
Obsequii pendunt compulsi symbola cives)
Increpat artifices que moras, tardosque patronos.
Ah pudet! his cytharam deponas flebilis aris,
Votivamque Deo suspendas, Musa, tabellam.

REGINA

REGINA
AD
THERMAS BATHONIENSES.

JAM resides Heliconis aquas, montemque bicollem
Musa oblita, novos concepit mente furores;
Et majus meditatur opus, divamque Britannam,
Delicias curamque poli celebrare, superba
Ambit, & officiis vinci indignata, per ipsas
Ausa sequi salebrasque viæ, casusque locorum;
Donec ad optatam liceat pertingere ripam;
Ripam, sulphureos ubi concoquit Ætna vapores,
Atque bituminibus miscentur flumina lentis;
Bathoniæ antiquas sedes ubi visit Avona,
Quæ par miranti tacito prætersluit amne.
Hic fœcunda suos pandit natura recessus,
Hic miseris non empta salus, sed grata dolorum
Morborumque patet requies, donaria cunctis
Hic credam sudisse Deos, & numina curas.
Sic testata suas, nostrosque miserta labores,
Hisce salutiferas posuisse in sedibus undas.
Huc & quæ sacris Paradisi allabitur oris
Confluxisse reor lympham, Phœbumque lavacris
His artes voviße suas; miracula tanta
Attonitum variis implent rumoribus Orbem.
Jam sileat Chiron, doctique Machaonis artes,
Et quæ Thessalicis potuit Medea venenis:
Hic versas rerumque vices, & fata retexi
Spectamus, multi sæva de morte triumphos
Natura mirante ferunt, morbosque relinquunt
Ut palmæ monumenta suæ, spoliatur & ultrix
Assuetis Libitina rogis, Parcæque severas
Nil leges valuisse dolent. Quem prægravat ætas
Morbida & imbellis, mox indignansque sepulcrum
Impatiensque rogi, vivaces induit annos,
Illudens fato, tumulisque voracibus artus
Eripit effœtos, & se stupet esse renatum,
Præsentemque Deum calidis agnoscit in undis.

Has, decus Angliadum Catharina, pudoris imago,
Orta dynastarum de stemmate gentis Iberæ,
Has invisit aquas, tali comitante catervâ,
Qualis sylvicolûm fertur cinxisse Dianam,
Gargaphiis dum lavit aquis; non gratior olim
Castalios latices intravit nympha, nec unquam
Bathonicas visit sedes augustior hospes;
Tam speciosa erat per balnea turba, putares
Naidas in nostro posuisse cubilia fluctu.
Reginæ adventum testata superbior unda,
Indignans nimis arcta suas confinia ripas,
Gestit in occursum ruere, & dare basia plantis;
Intrantem & primas lambentem gressibus undas
Mox famulæ comitantur aquæ, lætæque sequuntur,
Subsiduntque novo pressæ sub pondere Lymphæ:
Vix medias pertingit aquas, cum læta fatetur
Se propius sentire Deum, tam vividus artus
Spiritus informans refovet languentia membra,
Quod quamvis videat, stupet ipsa incredula factum.
Jam Medici migrate doli, damnentur inanes
Chironisque artes, & inutile numen Apollo:
Hic majus numen medicinam exercet, & artes
Hic peragit natura suas, virtute stupenda
Longævi reparans pereuntia secula mundi.
Ante tuos, Regina, pedes prostrata Camæna.
Hos tibi successus optat, superosque movere
Ausa est, ut redeas populi pia cura Britanni,
Aspiciens lætos Thamisino è gurgite cives,
Dum reboant reditum circumsona littora salvum.

Ne

Ne peregrinentur juvenes.

A Deone vilescit disciplina vestra, Academici, tam futilis hic & effœta eruditio, ut satius videatur juventuti nostræ tot periculis sese objectare, ultra Pyrenæos & Alpes, ut nugis ineptiisque pleni redeant, divagari? Quodnam tam infaustum sidus afflavit Anglorum animos, ut deliri senes, sua licet reclamante avaritia, reclamante ista vetustos ritus venerandi superstitione, permitterent arcas tot sumtibus evacuari, semet domi esurire, venundari patrimonia, & hæc omnia, ut liberi solum ridiculi redderentur? Si tanti sint agilitas calcium, capitis vibratio, gesticulatio sinuati clunis, & eximia istiusmodi ornamenta, quæ solent ab exteris regionibus deportari; quænam eos vesania cohibet, ne in patria commorantes, hic potius schœnobatem consulant, & per nundinas nostras spatiati, ab emicantium puparum spectaculis, generosis tripudii artibus sese instruant? Ut Dii me ament, & ipsorum & reipublicæ gratia magnopere vellem, tantillum saltem illis ingenii superesse, ut non obstinato animo diutius huic tam sano consilio adversarentur. Intueamini enim illos, cum jam revertantur decorati omnibus peregrinandi insignibus; quam vafre, quam ex arte defipiunt, quam pessime instar machinarum se gerunt, sic librato pectore, sic poplite incurvato, in tam varios stoliditatis modulos involutis rictibus, ut puderet errones istos, qui saltatricia hic simulachra vicatim circumferunt, tam inepta automata inter scrinia sua collocare. Si quis unquam rediisset non usque adeo ad extremum insulsus, sed cum dimidio forsan exigui istius cerebri, quod primum miser navi tam inauspicato crediderat, non sic portento simile videretur, potuisse homines ita torpescere, ut quotidie & turmatim se trajicerent, commune tot pereuntium fatum ultro amplexuri. Quænam autem veneficia, quodnam tam execrabile incantamentum potuit improvisos juvenes pellicere in jacturam omnium, quæcunque vel ratiocinii, vel sanitatis nomen audent sibi arrogare? Tantumne damnum compensa-

bit

bit inania neſcio quæ poſſe Gallice eblaterare; aut cum penuria cogitationum non finat eos ulterius progredi, in promtu habere nonnulla procacis iſtius linguæ fragmenta, quibus abruptæ hiatus ſententiæ adimpleantur? ſed cum ratione quidem inſaniunt cerebroſi iſti, qui, quam inepte garriant ſibi conſcii, metuunt vernaculo idiomate ſeſe explicare; eo itaque utuntur ſermone, qui ad exprimendos tam vanos conceptus præcipue videtur accommodatus: Quam molliter ex ore labitur delicata ſalutatio? Quam mellitis vocabulorum globulis in amaſiarum aures venena profunduntur? nulla pertinacia, non munitiſſima caſtitas ſatis habuerit virium, quibus imbelles mulierculæ valeant ſe contra hoc tam ſonorum faſcinum armare; tam ſuavi ſtatim magia percitæ, circumrotant oculorum albumina, criſpillant labia, vultuſque adeo ridicule placidos induunt, ut ſolo dignæ videantur commercio eorum, à quibus ſollicitantur; Judicii ſoliditas, rationis vis, & formata juxta prudentiæ leges loquela iſtis curæ ſint hebetibus, qui hic ſterilibus ſtudiis ætatem terunt. Hæc ſunt trophæa, quibus peregrinantium linguæ ſuperbiunt; poſternunt omnia ineluctabili eloquentia, miraque urbanitate ſe inſinuant in amplexus iſtos, qui dedignantur niſi à tam cultis moribus expugnari; qui ſæpiſſime hunc propenſiſſimum amorem intimiore compenſant benevolentia; benevolentia, quæ nec Terebinthina poſthac, nec Guiaco, nec acrioribus Mercurii viribus poſſit unquam expurgari: in oſſa medullaſque miſerorum tam alte imprimit ſe, ut eorum ſtultitia vix ſit difficilius evellenda. Turpiſsime horreſcimus exterorum arma, oblitique avitæ fortitudinis, diſcurrimus huc & illuc tremuli perculſique; non ſecus ac ſi jam per media regni viſcera igne ferroque graſſarentur. Exoneret huc ſe peſtifera gens, & incendiis omnia populetur; minus ſic lethalis eſſet; nequeunt illi, licet felicior adhuc ſucceſſus ipſis adblandiretur, tantam ſtragem aperto Marte machinari, quanta nequitiis quotidie ibi inter advenas diſſeminatur. Si cui forte aut crus, aut brachium volitanti per aciem plumbo transfigatur, non ulterius ſerpit malum, ſed cum læſo tandem extinguitur; ſæviora autem libidinis ulcera nequaquam his ſpoliis ſatiata in poſterorum fibras venenum ſpargunt, vexantque in

ſequens

ſequens ſæculum labore contagium amoliendi. Etiamſi ſua prudentia nequeat Armigeros noſtros intra limites prædiorum coercere; tam infeſta tamen, tam veſana peſtis debuit ſaltem illis tantum terroris incutere, ut potius quam ita intabeſcerent, eligerent mordaces ruſticorum ſannas ſuſtinere, & fumoſas intra popinas cum ſordido villicorum grege, ad ſenectutem uſque cereviſiam ingurgitare. Incipite tandem vos leviſſimi, ſi qui adhuc è ſplendido peregrinantium cœtu ſuperſint, quos nondum animi vires deſeruerunt, aliquid indole veſtra dignum exerere: depellite veternum hunc; ſi non veſtrum, ſaltem patriæ miſeremini. Quid ſi propitia fata hoc fortaſſe vobis beneficium indulſerint, ut cum nonnullis putrium membrorum reliquiis domum iterum remeare poſſitis, quanquam acidum pus totum roſtri fulcimentum nondum abſorpſerit, ſed in ornamentum faciei aliquid circa nares, gallinæ veluti uropygium, labris adhuc prominere permiſſum: non ſic tamen placatur morbi furor; ſed & uxor, & proles poſt multos deinceps annos ſentiunt fatale virus intra venas curſitare, cujus cruciatibus alieno crimine contractis ſe quotidie perire ingemiſcunt. Quam miſera undique ſpectacula, quam imbecillia, & elumbia monſtra cernimus! Ut ſcaturit ex oculis acre phlegma! Ut vacillant humeri coxæque! Quid ſi ad portas hoſtis? Si claſsicum caneretur? Nonne robuſti hi pugiles & ſe ſtrenue, & periclitantem patriam tuerentur iſtis inſiſtentes tibiis oſsibuſque, quæ vel leviſsimus bombardarum è longe exploſarum fragor in fruſta pæne diſcuteret? Nec-dum tamen nobis videmur vires noſtras ſatis debilitaſſe: Ex omnibus mundi plagis novum aliquem morbum, donec in Pygmæos aut Ephemera degenerabitur, de induſtria curamus invehendum. Quid enim apud exteros adeo monſtroſum ac enorme, à ſenſu ita & à ratione abhorrens, quod, vi naturæ illata, ſumma cum aviditate non deglutimus? Maximo cum labore inſanimus, damuſque operam ut vitiatæ facultates, & ſcelerum noſtrorum, & vanitatum faſtidium non perſentiſcant. Egregii noſtri errones exoticis vitiis ita mores ſuos elimârunt, ut nihil jam præter ſcobem relinquatur. Quid à Belgis vicinis noſtris, quid ab Italis Græculiſve mutuantur? Comeditur, bibitur, ſtuprant invicem

A: And bring him somethig to stop his mouth for Gods sake

vicem & conſtuprantur. A Aperite tandem oſtia, & Sequana, Rhenus, Tibris, & quicquid ſpumarum ubivis gentium eſt, in Thamefin devolvantur; nihil reliquum eſt jam, quod illinc fœdius dilabatur.

Felicia certe iſta ſæcula, magiſque ab omni ſolicitudine immunia, cum nulli præter mercatores finitimorum littora appulerint; cum vinum tanquam cardiacum laboranti ſtomacho adminiſtraretur; cum Britones ſe & amicos tenui & parabili victu reficerent. Nondum immanis iſta dies noctesque comeſſandi conſuetudo obtinuerat; intra viridaria, & ſub hortorum umbra ſtrato gramine epulabantur: Fabulis colloquiiſque deliniebant animorum curas; non adeo inurbane cum convivantibus agebatur, quin cui licuerit prius ſe ſubducere, quam cruda in cyathum edulia nimis diſtenta alvus egereret: nulla podagræ tormina, nuſquam ſcorbutus ſæviere; non ficca viſcera exæſtuanti febris paroxyſmo torrebantur; ſed è corpore longa ſenectute confecto, ſanguinis ſpirituumque leniter ſubſidente motu, firma & virilis anima tacite & fine gemitu evolavit.

He supposes hen that they bring home victuals and drink in their pockets.

x Our author is a great lover of time

B when he spoke this, I guess he had some signs of that disease.

C The man used to speak away into nothing as this speech did.

Prodeſt

Prodeſt juventuti Anglicanæ exteras Gentes inviſere.

IN hiſce ſacris muſarum palatiis, & ſplendidiſſima literati orbis Academia, vereor ne minus conſultum videatur, ad alias quaſcunque regiones provocare, aut extraneum quidpiam res domeſticas callentibus inviſendum proponere. Quicquid jactavit mendax Græciæ hiſtoria, quicquid uſpiam oſtentat Roma, vobis (Academici) præ oculis eſt. Antiquavit Theatra Sheldonus, Vaticanum Bodleius; tanta hic literatorum frequentia, ut nihil præ ſe tulerit Zenonis porticus, nihil Stagiritæ Lyceum, quod inter vos non miretur hodierna ætas, non ſtupeat: Vobis tam pingues obtingunt campi, tam amœni cœlorum tractus, ut ſuam Campaniam dedignatus Italus, hic Baias, hic Puteolos exquirat: Sed quod majus, quod magnificentius audit inter hoſce præclariſſimos artis naturæque triumphos, ea eſt generoſa Anglicæ juventutis indoles, is mentis vigor, ut plura adhuc cupiat, majora etiamnum deſideret; non hic laſſatus requieſcit animus, alias juvat experiri regiones, novoſque orbes perſcrutari; juvat ſacris Proavorum veſtigiis inſiſtere, disjunctiſſimas terras & ſemota longe maria Anglorum nominibus ſuperbientia colluſtrare. Laudabilis ſane hæc & digna Anglis ambitio: Neque enim ego hoc iis invidendum eſſe arbitror, ſi intra inſulæ anguſtias coarctari recuſent animi orbi adimplendo pares. Terras, cœlum, atque oceanum conſulat naturæ amaſius; nullum eſt elementum quod ulteriori indagine non aveat ſubjugari, nullum quod opima victori ſpolia non polliceatur. Stupent nautæ deformes oceani incolas, aliumque animalium orbem terreſtris æmulum; ſtupent ultra Garamantas & Indos ſcientiarum produci pomœria. Nulla peregrinanti gens occurrit; nulla regio, cui prodiga rerum mater vel omnes artes conceſſerit, vel parca omnes negaverit: nec temere ſuos agnoſcit limites terrarum orbis; cujus pars haud minima Anglis debet quod detegatur, Anglis quod manſueſcat. An latiores mundo terminos, & aperiendis olim terris humanitatem denegabitis? Denegatis ſane ſi juventutem Anglicanam arctioribus inſulæ cancellis

cancellis cohibendam cenſetis ; juventutem inquam, quæ navigationis bellorumque præmium ſatis amplum ſemper duxit barbariem debellaſſe, & devictas gentes ipſis victoribus lætiores reliquiſſe. Magnum profecto eſt in ipſos pectorum receſſus penetrare, totaſque gentes mira quadam metempſychoſi in animum transferre, & quod ne Cæſari quidem conceſſum eſt, videndo vincere. Apage ludicras chartulas, perfidaſque male delineati mundi hiſtorias ; nationum locorumque ingenia longe vobis explicatius referunt cerebra noſtra, vivi terrarum orbis typi, tabulæque animatæ. Quin & hinc Stagirita veſter intelligendo, orbem Alexandro præripuit ; inſigniores ille de ſubacta populorum barbarie, de perſpectis animalium naturis, quam hic de fugatis hoſtium turmis, everſiſque urbibus triumphos reportavit : Nec alio prorſus nomine magnus dici meruit Alexander, quam quod manu ſua Ariſtotelis ingenio viam muniverit ; vincendus etenim erat orbis ut intelligeretur. Qui rerum gentiumque notitiam per mare, per terras avidus ſectatur, redit tandem totius naturæ ſcientificus victor, & de ſubjugato orbe genuinum celebrat triumphum ; teſtor omnium regionum tabulas & ſigna, haud triumphali curru, ſed ornatioribus longe mentibus impoſita & depicta. Et quem non pudeat ignaræ, & degeneri indulgere ſolitudini, cum nihil uſpiam ſit quod oculis ſeſe ingerit, quin ſedes ſuas deſerere, & peregrinari geſtiat ? Omnes mundi partes æterno motu volvuntur & gaudent ; iners rerum omnium Materia ſit prorſus peripatetica, & ipſam pererrat naturam ; nunc ſibi pennas dedolat, omneſque cœlorum plagas libere pervagatur ; nunc juvat altos maris receſſus tentare, genteſque inter aquaticas late peregrinari : Ipſos montes radicibus ſatis altis defixos, & intuitu longe eminentiſſimo donatos, tamen ulterius proſpicere geſtientes ambulatorios fuiſſe novimus : Novimus & avulſas Cycladas ſuam continenti ignaviam exprobraturas, ſtupentem ſulcâſſe oceanum. Quis tandem illud nobis inſulanis denegabit, quod totis etiam inſulis erraticis & viatricibus benignior conceſsit natura ? Vultiſne Tramontanos eodem ceſpite oriri pariter & occidere ? Vultiſne nos è rupto robore natos fraternis glandibus uſque parricidas veſci ? Migremus potius, & ſuadente

dente religione, avitas quercus, per omnes maris sinus, per omnes mundi plagas pie circumducamus; quercus illas, quas montium summitatibus præscia fixit natura, ut sua ibi ponerent tyrocinia, ventorumque præludia experirentur, quibuscum consummata tandem nautices militia essent congressuræ. Quis est qui metuendas nobis jam Syrtes intentet, Scyllæve urgeat rabiem? Mergi non metuit sublimior Britannorum virtus; spuriam tantum sobolem abripit Rhenus, castam fovet. Non extimescit Anglus infestas climatum naturas, & innata regionibus vitia; non animos adeo degeneres largitur victrix insula, ut extraneum quidpiam reformidet: qui exterorum arma felici semper eventu expertus est, ultro provocat peregrinos mores domesticis virtutibus emolliendos. Macte hac peregrinationis gloria, juventus Anglicana, neque enim aliarum gentium fæce vestra inquinari potest virtus, nedum immutari, nisi quod ex vitiorum consortio firmior indies, indies conspectior evadat.

THAMESIS VINCTVS,

SIVE

DE HYEMIS PRÆTERITÆ

Inclementia.

FER flammas, fer Phœbe tuas, da pectora vatis
Igne calere novo, ſacroque accendier æſtro:
Quale poteſt Scythico nataſque ſub axe pruinas
Solvere, & hyberno concretas frigore moles:
Quale tuas etiam, Thameſi, laxare catenas,
Et gelidas animare poteſt his ignibus undas.
Nam tibi, dum lenis Carolinæ allaberis aulæ,
Et dominum attonitus tacito veneraris honore;
(Pars magna immenſi, cui jura dat ille, profundi)
Dumque tuis ſaturata vadis auguſta triumphat
Imperii ſedes, & regum longa Britannûm;
Acris hyems, duris Aquilonum invecta procellis,
Intercluſit aquas, indignataſque teneri
Te cuſtode, tuas immota coercuit undas.
Sternitur æqualis vitrei pellucida campi
Area, quæ ſolidis laterum compagibus hærens
Impoſitum ſuſtentat onus, ſub pondere Nereus
Ingemit, & rauco nequicquam obmurmurat ore.
Ergo ait, antiqui ceſſit reverentia ſceptri,
Hæc ut deberet mea ſors ludibria cœlo?
Hac vice contentus fungar, dum numine lævo
Nereidum thalamoſque mearum, atque humida regna
Carcere commutant ſuperi, & nova vincula nectunt.
At non hæc olim potuit fortuna nocere,
Cum noſtrum ſubjecta agnoſceret unda tridentem,
Et pleno rueret, quâ ſe tulit impetus, alveo,
Effuſis ſpatiata vadis, atque æquore toto;
Nunc ego ſiccus, inops. Conanti plura referre
Vincta gelu vox conſtiterat.

Nym-

Nympharum aſſenſere chori, plauſuque ſecundo
Increpuit glacies, ſubito commota fragore;
Quæ poſtquam exiguam dederat divulſa ruinam,
In ſe iterum rediit ſtipata tenacius unda.
Tunc omnes certatim una concurrere cives,
Et trepidi tentare fidem, num robore firmo
Conſtaret, patulove ſinus laxaret hiatu;
Evectoſque procul fundo ſubmergeret imo.
Mox vanos repetita metus audacia vicit,
Et quo quiſque valet ſtudio, diverſa ſequuntur
Conſilia, hic alii ponunt aggeſta futuris
Fundamenta caſis, illic undantia flammis
Ordine ahena locant, verubuſque immania figunt
Terga boum, varioque parant convivia luxu.
Fit ſtrepitus, paſſimque nova diſcurritur urbe,
Et niveis hinc inde micant tentoria velis:
Qualia ferre ſolent inflata tumentibus auris,
Cum gravidæ quondam ruerent per cærula naves,
Nunc vacuæ & ſicco ſubductæ littore naves.
Quam memini plenis diſtentæ carbaſa ventis,
Cum totas Orientis opes, Eoaque ferrent
Munera, & advectæ propius Thameſina ſubirent
Oſtia, ceſſerunt æratis frontibus undæ;
Quæ jam conſtrictas hyemali compede puppes
Sede tenent unâ; non ſic radicibus hærent
Montanæ, quarum naſcuntur robore, quercus.
Tale gelu pigro ſentit Greenlandia cælo,
Longus ubi indigenas Boreas, & frigidus urget
Jupiter, &, quod fama refert, intercipit udum
Vocis iter; donec paulatim, evicta calore
Pulſa recedit hyems, glaciemque in verba reſolvit.
Incaſſum Thameſin numeroſa ſaxea moles
Arce premit, Rhodium moles imitata Coloſſum,
Quæ multo armatum torrente reverberat æſtum,
Et plus ter ſeno deſpumans ore remugit,
Deſpectatque ſuos excelſo vertice fluctus.
Ipſe ſibi pons eſt, qualem nec Iberia jactas

Quamvis

Quamvis mille ſuper depaſta armenta vagantur,
Ingeminatque frequens plauſum toto ungula campo.
Nam tua ſecretos interluit unda meatus,
Inque ſinum terræ tecto ſe gurgite condit,
Ceu pudor hæc ſuaſit latebras cæcoſque receſſus.
Nobilior cœlo Thameſis ſe credit aperto,
Admittitque diem, & nitidis procul emicat undis
Sole laceſſitus, tremulus ferit æthera ſplendor
Aureus, & natus glacie reflectitur ardor.
Lævia non aliter Phœbæum admota remittunt
Vitra jubar, tunc cum glacies impervia tergum
Occupat, & radios longe jaculatur acutos,
Tuque tuis ardes transfixus Phœbe ſagittis.
Eja age (nam ſolus flammis opera omnia luſtras
Et conferre potes, quæ luſtras, omnia) fare,
Si quid habent Alpini adeo memorabile montes,
Æternæque nives, inconſumtæque pruinæ;
Quas nempe effuſo Pœnus diſſolvit aceto,
Laxavitque ſuo nervos adamante ligatos.
Tu quoque qui quondam Phryxæum navibus æquor
Straviſti, nomenque immenſum epota dederunt
Flumina, deriſos en tandem cerne labores,
Utque novas, Xerxe, ſubeant tua vincla catenas.
Nec tibi, quem cœlo geſtarum gloria rerum
Extulit, Alcide, quamvis Achelous ademtum
Luget adhuc cornu, & truncum caput occulit algâ;
Cederet ipſe ſuis infractus Thameſis undis,
Uſque relicturus feſſum hoc molimine dextram.
Quam juvat Iliacæ repetentem funera gentis
Te, Neptune, tuaſque olim meminiſſe ruinas,
Suppoſito tunc cum tremerent ſubverſa tridenti
Pergama. Longa dies quid non ferat; ecce rependit
Æquales Auguſta vices non immemor ortûs;
Et Bruti ſoboles & aviti ſanguinis hæres.
Teque adeo pedibus ſubjectum calcat, & ipſa
Rectorem domat unda ſuum, invitumque coercet.
Sic proavos, ſic ulta ſuos, nova Troja triumphat.

PERORATIO.

ECquid mihi dicendum ſupereſt, ornatiſſimi Auditores? Ecqua relicta eſt illibata orationi meæ materies? Tanta ſolertia omnes perſcrutata eſt angulos pugilum eorum, qui jam in palæſtra hac philologica ſe exercuerunt, ut & ſuperiorum annorum diligentia; ut vix aliquod ſuperſit mihi mediocri Oratori argumentum. Ædes haſce auguſtiſſimas, bibliothecam ſcriptorum inſignium, ſed defunctorum ſimul palatium & monumentum; diſciplinarum ſingularum ſplendidas illas ſedes; ſacratiſſimam eccleſiam; univerſitatem denique totam mira ſagacitate perluſtrarunt. Nec his contenti, provinciæ totius receſſus æque ac apertos campos & ridentia prata venati ſunt: quæ præſentia, & futura; quæ ſupra, infra; in terra, aere & aquis hucuſque delituerunt, in apertum pertinaci induſtria producuntur. Sed nec hic conſtitit ſollicitudo veſtra; totius Britanniæ, totius Europæ, quin & univerſi orbis negotia vobis (clariſſimi mortalium Academici) orationes & declamationes fiunt; & ſubſellia hæc facta ſunt totius mundi Theatrum. Pacis bellorumque vos arbitri, regionum atque conſiliorum magiſtri, & judicio veſtro ſtantque caduntque politicorum omnium prudentia & ſucceſſus. Quouſque tandem procedet juvenilis ardor? quoſnam terminos vobis præſcribetis, adoleſcentes acerrimi? Poſteris etiam aliquid indulgendum eſt, niſi exiſtimetis (quod & ipſi præcamur & ſperamus) quemlibet annum novos benefactores, nova Univerſitati huic incrementa, novam orationibus materiem productorum. Vos interim, clariſſimi juvenes, penſis hodiernis tam eleganter, tam venuſte defuncti, non ſolum dicendi argumenta, ſed & argumentorum tractationem ſecuturis quibuſcunque præripuiſtis: Poſt veſtram meſſem neque racemationi noſtræ quidpiam relictum eſt. Omnes thematum latebras tam ſedulo, tam accurate excuſſiſtis, ut inventioni noſtræ nihil concedatur; nos pauperes veſtra effecit copia; veſtræque tam pretioſis mercibus tumentes apothecæ, quæcunque nobis meliora videbantur, ſcruta tantum eſſe & viliora mercimonia demonſtrant. Verum annon & ipſe inſcius, & aliud agens in latiſſimum dicendi campum deferor? dum ſupellectilis meæ tenuitatem conqueror, neſcio quomodo, perduxit tamen orationis meæ filum in uberem divitemque perorandi venam: factus ſum inopinato panegyricorum panegyriſtes, & ingeniorum veſtrorum encomiaſtes. Neque ipſe Plinius Tulliuſve ampliorem deſideraſſet campum,

omnes lacertos nervoſque ſuæ eruditionis in hoc gymnaſio experiri poterant. Et hic quidem ſpatiari, ſeſeque apricare noſtra libentiſſime geſtiiſſet qualiſcunque Minerva, nec aliud argumentum, aliamve materiam (niſi modeſtiæ veſtræ conſulendum exiſtimarem) hoc tempore amplecterer. Jamque rurſus inopiæ meæ invidos & injurios vos comperio. Dicendi rationem à me primum eripuiſtis, ereptamque (nihilo prorſus ſuccedenti ſuperſtite) omnibus coloribus & elegantiis ornaſtis: jamque nec voſmetipſos mihi conceditis; adeo veremini adulationem, ut nec propriis, etiamſi juſtis, laudibus indulgeatis. Sed nec hoc dolendum eſt. Ita plane, humilior eſt noſter ſtylus, pauperiorque facultas, quam quæ veſtrum deceat præconium.

Quod ergo Adoleſcentes reſpuunt, vos, Venerandi Patres, gratum habere obſecro & obteſtor: Vos alloquor veteris Academiæ (quæ deformationem nuperam præceſſit ſcilicet) ſtatumina, hujuſce renovatæ fundamenta, utriuſque decus & unicum ornamentum. Omnium plane mortalium eſſemus & numini & vobis ingratiſſimi; ſi merita veſtra tacite admiraremur: accendendæ ſunt exemplis veſtris noſtrorum induſtriæ, & excutienda præſentis ævi ignorantia; nobiſque totique huic ordini gratulandum eſt, quod tot tanquam aurei ſeculi veneranda ceimelia coram cernimus. Ægre me contineo, quin vehementius indigner per tot annos veſtram dignitatem eſſe præterniſſam, quodque hæc ſubſellia haud inanibus vel falſis aliorum reſonantia encomiis, de vobis, quibus ipſamet totaque felicitas noſtra debetur, ſiluerunt. Candorem veſtrum clementiamque, neglectus noſtri unicum velamen & indulgentiam appellamus. Ita tamen fit ut præſentia oculis ſæpius præteantur, cum longe poſitis inſiſtatur; ſic Indi vitreas bullas, & quiſquilias noſtras avide arripiunt, dum gemmas ſuas ubique obvias calcant & ſpernunt. Quanta qualiſque fuerit Academia, & quouſque pertingere noſtra poterit diligentia, è vobis judicetur. Qualeſque quantique vos eſſetis, & qualia nobis exemplaria ob oculos verſarentur, ex adverſis tam fortiter, tam alacriter, tam impigre toleratis abunde cognoſcitur. Metuendum erat ne in nimium excreſceret tot tantiſque literarum præſidiis repleta Univerſitas, niſi (quod ab hortulanis ſolet) luxuriantes nimis amputarentur rami; ipſæque felicitate ſua laborantes transferrentur arbores. Tum demum orbitatem ſuam ſenſit Academia, cum vos, clariſſima lumina, eclipſin pateremini, ſeroque ſuas tunc literatus orbis lamentabatur tenebras. Nocte vobis obducta, è luſtris caverniſque ſuis erepſerunt fanatici tenebriones, ſed feris ipſis ferociores, belluiſque immanibus

nibus magis truculenti; qui dum Solis lucem ipſimet abſtuliſſent, nullis non encomiis faculas ſuas putidas & ignes fatuos celebrarunt. Et invenit larvata inſcitia quos deciperet, ſed lippientes tantum & cæcutientes; qui verum ſplendorem, purumque lumen pati non poterant: qui tabernis & ergaſteriis enutriti, quamprimum in apricum producerentur, ſe ſolos cernere, ſe ſolos ſapere, & inter ſuos (quemadmodum luſci inter cæcos) ſe ſolos admirationem mereri arbitrabantur. Binas enim tantummodo in diſcipulis ſuis conditiones, turgidam ſcilicet crumenam & capita vacua; divitias aliquantas, & ignorantiæ plurimum poſtularunt. Sed hæc vereor ne ſint infra dignitatem veſtram. Operæ pretium tamen eſt, ut orationibus noſtris diſcernatur diverſitas temporum, tum ut felicitatem noſtram gratulemur; tum ut periculum, quod tam proſpere evaſimus, iterum caveamus. Non (ut prius) deſertæ & auditoribus vacuæ lugent Scholæ; non artes & ſcientiæ humaniores amplius ſunt dedecori; collegia non jam factionum & ſeditionum ſeminaria audiant: non amplius tyrones antequam Univerſitatem ſalutaverint, ad ſuggeſta concionatoria aſcendenda incitantur; neque preces, ſeu potius abſurdi & inconditi clamores, à nobis æque ac à numine cum faſtidio audiuntur. Teſtes appello hæc ſubſellia, tot nova ædificia, tot Collegia inſtaurata, omnia nunc in Academiæ decus, literarum proventum, ſummique numinis honorem; non ob avaritiam fœdumque lucri ambitum ſuſcepta. Ceſſant jam in regiam majeſtatem legitimoſque magiſtratus invectivæ. Non eſt Leſbia regula, nec omnibus ventis vela expandit Theologia. Cuique jam ſua jura aſſignantur. Nullius conſcii ſunt hi parietes, vel in Deum blaſphemiæ, vel in Regem ſeditionis. Quinimo diverſum prorſus in vobis exemplum intuemur, Viri venerandi. Quot ſtipendia, dum neceſſitas regis patriæque ſublevandæ poſtularet, ipſi meruiſtis? Quæ regio non eſt veſtrorum exiliorum vel fugarum plena? Quoties calamos in gladios, gladioſque rurſus in calamos mirando regiæ defenſionis æſtu, dexterrime commutaſtis? ſtipendiis æque, ac exercitiis, & mora Academica ad gradus in utriuſque Palladis caſtris aditum facientes.

Fidei vero adverſus Principem, honoratiſſime Dn. Cancellarie, ipſe nobiliſſimum exemplar: tua fides, tua induſtria, tui labores, tanto extra, quin & ſupra noſtrorum exempla, quanto tu ipſe ſublimior, nobilior, major. Ampliſſima tibi honorum meſſis, nobis vix manipuli computantur; integræ regionis ſollicitudo, curæ & diſcrimina humeris tuis incubuerunt; & ſi cujuſpiam dextra Regia cauſa defendi potuiſſet, tua certe defenſa fuiſſet.

Meritis

PERORATIO.

Meritis tuis, qualecunque potuit, teſtimonium reddidit hæc Univerſitas; majus equidem, ſi habuiſſet, datura; ſed animorum conſenſus, & ejuſdem periculi ſolenniſſimum ſacramentum collatum, ſterile officium etiam maximis & honoratiſſimis æquale reddit. Cumque à tenuibus humilibuſque, ſed eruditis, ſed fortibus, ſed Regiæ cauſæ & religioni addictiſſimis, electus fueris; te literarum, virtutis, patriæ & eccleſiæ Patronum adhiberi exiſtimes. Neque ſpem noſtram de te conceptam fefelliſti. Gratulor tibi, honoratiſſime Cancellarie, tam devotos, tam in obſequio promtos Clientes. Gratulor vobis, Academici, tam fidelem, tam nobilem, omni ratione tam bene meritum Patronum.

Pergatis porro, Viri Optimi, nos veſtris moribus imbuere, exemplo veſtro in ejuſdem fidelitatis bonarumque Artium ſucceſſionem erudire; ut ſi rurſus eadem præſtandi vel patiendi (quod avertat numen) ingruat neceſſitas, ſemper verſus Deum devota, verſus Regem conſtans; officii ſemper tenax, ſemper ſui, ſemper veſtri ſimilis ſit hæc Academia.

FINIS.

322136.